DE GEORGICIS
A VERGILIO RETRACTATIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIX. M. JULII A. MDCCCLXXXX

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

NATHAN PULVERMACHER

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

R. ULLRICH, DR. PHIL.
G. REICHMANN, CAND. PHIL.
E. BETHKE, STUD. PHIL.

BEROLINI

HEINRICH & KEMKE.

BEROLINI, TYPIS EXPRESSIT GEORGIUS CHASTÉ.

IOHANNI VAHLENO

S.

De Georgicis a Vergilio scriptis, editis, retractatis quam varia variorum iudicia sint, rem notissimam quidem exemplis illustrari non vereor ne ab initio huius libelli alienum existimetur.

Omissis aliis opinionibus primo loco affero Joh. Henr. Vossii sententiam, cuius in interpretandis explicandisque Bucolicis et Georgicis merita omni laude maiora esse constat.

Vergilium ille putavit Georgicon a. 717/37 inchoatorum primum librum a. 719/35, alterum a. 724/30 seorsum edidisse, ceteros quamvis eodem anno (724/30) absolutos atque iam tum forsitan cum amicis communicatos usque ad ultimum vitae annum elimasse. De editione ipsa post obitum poetae emissa quid sentiret aperte, nisi quid me fugit, non declaravit.

Wagnerus Georgica intra annos 723/31 et 725/29 perfecta postea a poeta additamentis aucta et emendata esse contendit.

Ribbeckius et Glaserus hoc opus inde ab a. 717/37 septennio conscriptum a. 725/29 primum, tum a Vergilio retractatum a Vario et Tucca post mortem auctoris iterum prolatum esse statuerunt.

Priores libros a. 724/30 editos, posteriores a. 725/29 confectos quidem, sed ante a. 735/19 in publicum omnino non emissos esse Tittlerus sibi persuasit.

Schaperus contra studuit evincere Georgica triennio (723/31—725/29) composita a. 725/29 primum, a. 729/25 iterum ab ipso Marone evulgata esse.

Similiter Borgio carmen ab a. 722/32 usque ad 725/29 conditum, insequentibus quattuor annis emendatum a. 729/25

primum, neque vero postea umquam in lucem emissum esse videtur.

Teuffelius Georgica et a. 725/29 et a. 729/25 prodiisse arbitratur, dubitat de tertia editione ab amicis Vergilii post a. 735/19 curata.

Nuper denique Thilo poetam hoc carmen septem per annos (718/36—724/30) in manibus habuisse et a. 725/29 edidisse neque postea mutasse iudicavit, atque quae de secundis curis veteres memoriae prodiderunt aut reicienda aut ad adsiduum studium quo Vergilius Georgica antequam ederentur perpolivisset referenda esse censuit.

Docti igitur, quamquam ceterum toto coelo ut aiunt sententiae distant, omnes fere consentiunt etiam post a 725/29 Vergilium Georgica emendare perrexisse. Mihi vero persuasum est poema nos habere id, quod septem annorum cura a. 724/30 ad finem perductum non multo post (a. 725/29) in lucem prodire Vergilius iussit, neque quidquam in eo esse quod vel ab ipso poeta vel ab amicis editoribus sive ab alio nescio quo ex schedis illius postea invectum sit, sed omnia quae de retractatione veteres tradidere, recentiores indagavere prorsus nullius esse pretii. De qua re, quippe quae non solum per se admodum notabilis, verum etiam in textu carminis constituendo maximi momenti sit, iterum movere quaestionem non supervacaneum duco. Neque vel in tanta doctissimorum virorum dissensione desperandum ne redintegrata disputatione certi quid exploretur, dummodo narrationibus grammaticorum diligenter ac sincere ponderatis respuantur quae credi non possunt, credantur quae fide digna sunt, atque vanis incertisque coniecturis indulgeri tandem aliquando desinatur.

Rem propositam quomodo peracturus sim illico liceat indicare. Ubi de temporibus et de editione Georgicon disputatum erit, tum de retractatione quid iudicandum videatur exponam, atque ita quidem ut primum testimonia veterum auctorum quae huc pertinent excutiantur, deinde recentiorum criticorum conamina accurate disceptentur.

I.

De Georgicon temporibus agere instituì propterea quod haec quaestio cum proposita ita cohaeret ut hoc demum fundamento iacto longius progredi liceat; tum quod non abs re esse putavi priorum interpretum errores, praesertim qui ne nunc quidem omnes ab omnibus repudientur, breviter quidem attingere, quoniam his maxime ni fallor factum est ut secundarum curarum suspicio, e veterum quibusdam narrationibus nata, adeo non e mentibus virorum Vergilianorum evanuerit ut inde a renascentibus fere studiis antiquitatis ad hanc aetatem propagata vigeat.

Georgicon tempora exploraturo auxilia et carmen ipsum et grammatici veteres suppeditant. Tertium autem genus quod in tali inquisitione multum prodesse solet — aequalium scriptorum locos dico, de quibus quando conditi sint dubitari nequeat, ad id opus de quo res est aperte respicientes — in nostri carminis temporibus eruendis praesto non est. Neque enim similitudine quae inter primi libri v. 512 sqq. et Horatianae satirae primi libri primae v. 114 sq. intercedere non nullis videtur[1]) satis demonstratur Georgicon librum primum tum cum Horatius satiram illam composuit iam editum fuisse. Nam etiamsi certum esset Horatio Vergilianum locum ante oculos obversatum esse nihil aliud hinc iure colligi posset, quod verissime Ribbeckius monuit[2]), nisi partem illam Georgicon iam antequam carmen emitteretur amicis innotuisse. At qui non verba tantum, sed consilium quoque poetarum et sententiarum tenorem utroque loco summo opere diversum respexerit, dubitabit quam recte alterum alterius vestigia hoc loco pressisse statuerint[3]).

---

[1]) Cf. Martyn Virg. Georg. 1746 Lond. ad I. 514; Franke Fasti Horat. 1839 Berol. p. 22 sq.; Hertz Prooem. ind. lect. Vratisl. 1876 p. 15 sq.; Ribbeck Gesch. d. röm. Dichtung vol. II. 1889 Stuttg. p. 150.

[2]) Lectiones Vergilianae 1855 Elberf. p. 1; Proleg. crit. 1866 Lips. p. 17; edit. Verg. min. 1881 Lips. p. XXVI; Borgius De temp. quib. Verg. Georg. scripta et perf. sint 1875 Hal. p. 19; Vergil. ed. Thilo 1886 Lips. praef. p. XIII. not. 46.

[3]) Cf. Vahlen Prooem. ind. lect. Berol. 1886 p. 20; Horat. ed. Kiessling vol. II. 1886 Berl. praef. p. XI.

Neque Servii ad Georg. II. 210 adnotatione (vol. III. p. 180, 26 Thilo) primum librum Georgicon iam a. 719/35 publici iuris factum fuisse confirmari Ribbeckius docuit [1]).

Denique ex Propertianis versibus (II. 34, 77 sq.) post mortem Cornelii Galli scriptis (v. 91 sq.) ad tempora Georgicon accuratius definienda nihil redundat.

In promptu igitur sunt duo quae significavi testimoniorum genera.

Vergilius enim ipse non raro sua tempora in Georgicis describit, et grammaticorum quoque summae auctoritatis testimonia ad nos pervenere certissima, ita ut ei qui et haec et illa documenta, quae egregie inter se congruere statim ostendam, animo integro necdum suspicione quadam praeoccupato contulerit dubitatio de temporibus Georgicon restare nulla possit. Priorem autem locum par est obtinere indicia quae in ipso carmine passim occurrunt.

Omnium qui certi temporis significationem continent versuum maxime conspicui in extremo opere leguntur (IV. 559 sqq.):

Haec super arvorum cultu pecorumque canebam
et super arboribus, Caesar dum magnus ad altum
fulminat Euphraten bello victorque volentis
per populos dat iura viamque affectat Olympo.
illo Vergilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis oti,
carmina qui lusi pastorum audaxque iuventa,
Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi.

Ab his initium disserendi capiendum. Ibi enim Vergilius declarat Georgica, quorum argumentum v. 559 sq. adumbratur se cecinisse vel potius perfecisse (v. i. p. 14) tum cum Octavianus *ad altum fulminabat Euphraten.* Si igitur contingit ut eruamus quando hi versus compositi sint, confectionis poematis terminum habemus firmissimum. Atque omnes nunc consentiunt satis certo tempus definiri posse quo versus illi Georgicis

---

[1]) Lect. Vergil. p. 1 sq.; Proleg. p. 17; cf. Unger De C. Valgii Rufi poematis 1848 Hal. p. 392 sq.

subscripti esse debeant, quamquam haec ipsa carminis conclusio multifariis modis a superioribus interpretibus vexata est.

Fuerunt enim qui v. 559 sqq. Vergilianos esse negarent. Sed haec sententia cum aliis tum vel Heynio probata[1]) a Vossio[2]), Wagnero[3]), Jahnio[4]), denuo a Coningtone[5]) satis reprobata iure vulgo derelicta est, neque futiles damnandi causas refellere aut referre operae pretium est. Sine dubio versus illi genuini sunt. Quando autem scripti sint quaeritur sive potius quaerebatur. Quamquam enim praeter Martinum (l. l. p. 486 sq.) et Delillium[6]) imprimis Vossius v. 560 sqq. ad a. 734/20 spectare existimavit, ab hoc quoque errore merito omnes dudum recesserunt. Vossii enim locupletissimi opinationis illius defensoris argumentationem (l. l. p. 922) quicumque cum verbis Vergilii comparaverit non poterit non vehementer mirari, ubinam ille levissimam deprehenderit mentionem signorum Crasso et Antonio a Parthis ereptorum et ab Augusto a. 734/20 recuperatorum[7]). Nam prorsus nihil ibi legitur quo Vergilium signorum restitutionem significare voluisse comprobetur. Immo si videmus qua ratione hanc rem et ipse Vergilius in Aeneidos septimo commemoraverit:

604 *sive Getis inferre manu lacrimabile bellum*
Hyrcanisve Arabisve parant seu tendere ad Indos
Auroramque sequi Parthosque reposcere signa,

et quibus laudibus eam alii persecuti sint poetae, velut Horatius (Ep. I. 18, 55 sq.):

militiam puer et Cantabrica bella tulisti
sub duce, qui templis Parthorum signa refigit

(C. IV. 15, 4 sqq.): *tua, Caesar, aetas*

---

1) P. Virg. Maro. Edit. quart. cur. Wagner 1830 Lips. vol. I. p. CXXIII et 688.

2) Des P. Virg. Mar. ländl. Gedichte 1800 Altona p. 919 sqq.

3) In quart. edit. Heyn. vol. I p. 688.

4) P. Virg. Mar. opera 1825 Lips. p. 388.

5) P. Verg. Mar. opera vol. I. 1872³ Lond. p. 386 sq.

6) Les Géorg. de Virgile 1811 Paris p. 334 not. 54.

7) Cf. Suet. Aug. 21; Tib. 9; Dio Cass. 54, 7 sq.

fruges et agris rettulit uberes
et signa nostro restituit Jovi
derepta Parthorum superbis
postibus

et Propertius (III 4, 6):

adsuescent Latio Partha tropaea Jovi

(III 5, 47 sq.): *vos, quibus arma*
grata magis, Crassi signa referte domum.

(IV. 6, 79 sq.): *hic referat sero confessum foedere Parthum,*
reddat signa Remi: mox dabit ipse sua.

(cf. II. 10, 13 sq; III. 12, 1 sqq.),
et Ovidius (Fast. V. 585 sqq.):

signa, decus belli, Parthus Romana tenebat,
Romanaeque aquilae signifer hostis erat.
isque pudor mansisset adhuc, nisi fortibus armis
Caesaris Ausoniae protegerentur opes.
ille notas veteres et longi dedecus aevi
sustulit. agnorunt signa recepta suos.

(Fast. VI. 465 sqq.):

Crassus ad Euphraten aquilas natumque suosque
perdidit, et leto est ultimus ipse datus.
‚Parthe, quid exultas?‘ dixit dea ‚signa remittes
quique necem Crassi vindicet, ultor erit.‘

(Trist. II. 227 sq.): *nunc porrigit arcus*
Parthus eques timida captaque signa manu

Georgicon versus extremos ad a. 734/20 referendos esse aegre profecto credimus.

At si inveniri tempus non posset cui versus illi aptius convenire viderentur, tum sane necessitate coacti in Vossii opinionem etsi inviti abiremus. Longe vero secus res se habet. Perlustrantes enim res ab Octaviano usque ad mortem Vergilii bello feliciter gestas ut quo anno Georgicis hic finem imposuerit cognoscamus ultro ad a. 724/30 vel 725/29 adducimur, cum Caesar Aegypto in ditionem redacta Asiam *‚iam victor‘* (II. 171) subegit. Nam historicorum scriptorum narrationibus copiosis atque accuratis quibus non est cur fidem derogemus satis evincitur versus qui sunt in controversia non potuisse

poemati subici nisi anno Actiacam pugnam insequente, atque mirandum quod a vero iam pridem[1]) perspecto insignis ille interpres Vergilianus inani specie seductus tantopere aberravit. Sed videamus rem.

Antonio a. d. IV. Non. Sept. a. 723/31 devicto Octavianus *cum Samum in hiberna se recepisset, turbatus nuntiis de seditione praemia et missionem poscentium . . . repetita Italia . . . nec amplius quam septem et viginti dies . . . Brundisii commoratus, Asiae Syriaeque circuitu Aegyptum petit obsessaque Alexandrea, quo Antonius cum Cleopatra confugerat, brevi potitus est* (Suet. Aug. 17). His voluntaria morte interemptis[2]) Aegyptoque mense Sextili a. 724/30 in potestatem populi Romani redacta[3]) Caesar in Asiam profectus cum ceterorum tum Parthorum maxime res et propriis discidiis et bellis civilibus Romanis nimirum turbatas composuit. Et ad hanc rem Georgicon conclusionem spectare ut planum fiat Cassium audiamus Dionem, qui ubi de Antonii Cleopatraeque obitu et de Aegypti pacatione antea egit ita pergit (51, 18): „*Ὁ δ᾽οὖν Καῖσαρ ὡς τά τε προειρημένα ἔπραξε . . . ἔς τε τὴν Ἀσίαν τὸ ἔθνος διὰ τῆς Συρίας ἦλθε κἀνταῦθα παρεχείμασε, τά τε τῶν ὑπηκόων ὡς ἕκαστα καὶ τὰ τῶν Πάρθων ἅμα καθιστάμενος.*“

Hanc narrationem cum versibus Vergilianis optime concinere nemo non videt. Ac ne forte in eo haereas quod Vergilius bello Caesarem tum in Asia fulminasse praedicat, quamquam reapse paciscendo magis quam decertando hic rem egisse videtur, vix opus est monere non in historico scriptore, sed in poeta nos versari cui ut res carmine augeat et in altius efferat facile venia datur. Neque hoc vitium, si quidem vitium est, in Vossii interpretationem non cadit. Nam ne eo quidem ad quem versus istos hic sibi persuasit pertinere anno (734/20) Octavianus cum Parthis bellum gessit, sed hi, ut Suetonius narrat (Aug. 21), ei et Armeniam vindicanti facile cesserunt

---

[1]) Cf. P. Virg. Mar. opera ill. C. Ruaeus 1690 Amstelod. p. 237.

[2]) Cf. Suet. l. l.; Dio Cass. 51, 1 sqq.; Vell. II. 87; Plut. Anton. 74 sqq.

[3]) Cf. Macr. Sat. I. 12, 35. — Mommsen Res gestae divi Augusti 1883[2] Berol. p. 109.

et signa militaria quae M. Crasso et M. Antonio ademerant reposcenti reddiderunt obsidesque insuper obtulerunt[1]).

Cum autem certum sit Octavianum iam vere vel aestate anni 725/29 ex Oriente per Graeciam in Italiam rediisse[2]) et Romam mense Sextili huius anni triplici triumpho ingressum esse[3]), sequitur Georgicon versus extremos referendos esse ad id temporis spatium quod inter anni 724/30 mensem Sextilem quo Caesar pacata Aegypto in Asiam profectus est et medium fere annum insequentem intercedit.

De qua re nunc quidem inter viros doctos dissensio non est.

Sed iam instituenda quaestio est artioribusne terminis definiri tempus possit quo Vergilius carmini nostro finem attexuisse putandus sit. Epilogum istum (IV. 559 sqq.) non modo ante triumphum mense Sextili a. 725/29 actum compositum esse, sed tum cum in Asia pacanda Caesar etiam occupatus erat ex versibus 560 et 561 ultro apparet. Cassio autem teste (51, 20 sq.) ille quinto consulatu Kalendis Januariis a. 725/29 inito iam nihil in Oriente egit nisi quod Romae urbi et Julio Caesari templa fieri honoresque divinos tribui permisit. Itaque adhibita Dionis narratione modo exscripta (51, 18) statuendum est contigisse Octaviano ut res Asiaticas, quibus statim post adventum ex Aegypto, h. e. non multo post Sextilem mensem a. 724/30 eum curam operamque impendisse per se quoque veri simillimum est, iam exeunte hoc

---

1) Cf. Suet. Tib. 9; Dio Cass. 54,8; Liv. epit. 139; Oros. VI. 21, 29; Vell. II. 91, et poetarum versus supra laudati. — Mommsen l. l. p. 124 sqq.

2) Dio 51, 20 sq.: „Ὑπατεύοντος δ᾽ αὐτοῦ τὸ πέμπτον . . . τά τε πραχθέντα ὑπ᾽ αὐτοῦ ἐν αὐτῇ τῇ τοῦ Ἰανουαρίου νουμηνίᾳ ὅρκοις ἐβεβαιώσαντο . . Καῖσαρ δὲ . . . τά τε ἄλλα ἐχρημάτιζε καὶ τεμένη τῇ τε Ῥώμῃ καὶ τῷ πατρὶ τῷ Καίσαρι . . . ἔν τε Ἐφέσῳ καὶ ἐν Νικαίᾳ γενέσθαι ἐφῆκεν . . . ταῦτα μὲν ἐν τῷ χειμῶνι ἐγένετο . . . (21). Τοῦ δὲ δὴ θέρους . . . ἐς τὴν Ἰταλίαν ὁ Καῖσαρ ἐπεραιώθη“.

3) Cf. Verg. Aen. VIII. 714; Suet. Aug. 22; Dio 51, 21; Liv. 133; Oros. VI. 20, 1. — Mommsen l. l p. 10.

anno componeret, tum reliquam hiemem anni 725/29 ineuntis in Asia commoratum. nihil vero ibi memoria vel poetarum laude dignum persecutum amplius verno tempore eum Italiam repetiisse. Neque huic rationi repugnat quod certos de Parthorum deditione nuntios primo demum anni 725/29 mense Romam allatos esse traditum est[1]). Nam primum, uti dixi, Vergilium v. 560 sqq. non ad res iam peractas respicere luce est clarius; tum autem vix potest dubium esse quin Octaviani praeclare factorum fama, fortasse ut fit paulisper exaggerata, Italiam pervaserit iam antequam de ipso eventu senatus per litteras imperatoris certior factus esset.

Pro certo igitur exploratoque ponere licet Vergilium versibus 559—566, quibus non solum aptissimum carmini finem imposuit, sed una Caesaris gloriae oblata, non male arrepta occasione splendide mentionem fecit, quarto libro subscriptis Georgica a. 724/30 exeunte perfecisse.

Reliquum est ut alium errorem, in quem Wagnerus, ubi ab Heynii aliorumque suspicionibus versus illos optime defendit, ipse incidit (l. l. p. 690), paucis, utpote nisi Schapero[2]) nemini quantum scio probatum, coarguam. Wagnerus enim ex v. 559 sqq. conclusit non ad finem tantum Georgica perducta esse sed totum opus scriptum et absolutum eo tempore quod versibus illis indicatur.

At si eos ad quinque menses qui inter Sextilem et Decembrem a. 724/30 intercedunt pertinere modo recte expositum est — sin non recte, tamen ad amplius quam decem mensium spatium, ab octavo anni 724/30 usque ad quartum quintumve anni insequentis, certe non possunt referri[3]) — iam corruit ista opinatio atque refellendi opera supersedere licet, donec quis tam exiguo tempore Georgica tota composita et perfecta esse serio contenderit. Quod nemo adhuc, ne ipse quidem Wagnerus ausus est facere. Verum quod hic v. 560 sqq. ad a. 723/31—725/29 spectare dixit perversum est propterea quod

---

[1]) Cf. Dio 51, 20.
[2]) De Georg. a Verg. emend. 1873 Berol. p. 8.
[3]) Cf. Glaser Jahns Jahrb. 1874 vol. 109, p. 572 sq.

res quae ibi attinguntur ante autumnum anni 724/30 geri omnino coeptae non sunt. Immo epilogo Georgicis addito poetam non de totius carminis temporibus testimonium prodere, sed docere tantummodo legentes voluisse quando et ubi extremam manum operi imposuisset cum consentaneum videtur, tum ex ea ipsa re summo iure colligitur quod prorsus incredibile est eo spatio quod v. 560 sqq. describunt totum carmen conditum perfectumque esse[1]).

Jam cum certum sit Vergilium a. 724/30 exeunte Georgica perfecisse reliqua quae in poemate ipso occurrunt indicia perscrutemur. Quorum certissimum libri alterius v. 170 sqq. continent:

maxime Caesar,
qui nunc extremis Asiae iam victor in oris
inbellem avertis Romanis arcibus Indum.

Quamvis enim hoc quoque loco sicut priore illo (IV. 559-66) nonnulli critici[2]) autumarint res ab Augusto a. 734/20 gestas attingi, tamen de hac opinione vulgo iam pridem explosa longum est disserere[3]). Nam vel primo obtutu apparet omnia quae de extremo carmine exposita sunt etiam in his versibus valere. Omnes igitur nunc repudiatis pristinis erroribus optimo iure consentiunt hoc quoque loco poetam de Octaviano Asiam post bellum Actiacum ordinante loqui[4]). Unus dissentit Borgius cuius sententiam referre et quoad fieri poterit reprobare opus est.

Jam Ruaeus ad l. II v. 171 adnotavit haec (l. l. p. 143 sq.): „*Omnino . . . de bello Actiaco aut potius Aegyptiaco intelligamus. Primo enim Aegyptus Asiae confinis est: Deinde,*

---

[1]) Cf. Ruaeus vit. Virg. ad a. 724; Glaser p. 573.

[2]) Quorum in partes Vossium l. l. p. 340 sq.) non abiisse propterea attendendum quod in hac quaestione mihi quidem ille parum sibi constitisse videtur.

[3]) Fuisse etiam qui v. 170 sqq. spurios duceret Heynius et Jahnius ad h. l. affirmant.

[4]) Cf. Heyne p. CXXIV. et p 423; Jahn p. XXIII. et 374; Voss p. 340; Franke p. 23 not.; Ribbeck Proleg. p. 18; Röm. Dicht. II, 42; Thilo p. XIII

Indos et Arabes et Sabaeos inter auxilia M. Antonii et Cleopatrae fuisse memorat, Aen. VIII. 705 . . . . Neque vero Indi apud veteres, ut apud nos, exacta ratione sumuntur, sed promiscue pro calidarum plagarum populis."

Eadem Borgius collato Dione (51, 18 sqq.) denuo protulit, et ipse quoque in adnotatione de Indorum nominis usurpatione loquitur (l. l. p. 7). Ac notissimum quidem est a Romanis etiam Aegypti Arabiaeque incolas Indos appellatos esse[1]). Sed ad nostrum locum plane nihil hoc facit, qui nullo modo, ut illi voluerunt, de Aegypto, sed de Asia intelligendus est. Quod abunde demonstrat v. 171:

qui nunc extremis Asiae iam victor in oris

Hunc qui ad Aegyptum pertinere censet nugas profecto et somnia sectari mavult quam quid scriptum sit videre. Cum autem neque in sequenti versu qui cum priore illo unam efficit sententiam (172):

inbellem avertis Romanis arcibus Indum[2]).

ulla Aegypti mentio fiat neque quidquam sit cur non Asiam de Asia, Indos de Indis extremis Asiae populis[3]) accipiamus, v. 170 sqq. non, ut Borgius ait, „*circiter medio anno 724 . . . quo tempore Octavianus ad Aegyptum et ad gentes orientis contendit*", sed tum conditos esse statuendum cum re vera ‚*extremis Asiae in oris*' Caesar pacandis civitatibus operam navavit, i. e. exeunte a. 724/30.

Teneamus igitur libri secundi v. 170 sqq. eodem tempore compositos esse quo quarti libri versus extremi.

De ceteris temporum indiciis, quippe quae nec tam gravia nec tam certa sint quam quae modo disceptavimus, brevius atque eo ordine agere iuvat quo in carmine occurrunt.

Libri primi v. 24—42 nihil meo quidem iudicio praebent unde certum quendam annum poetam respexisse necessario colligere possis. Neque priorum interpretum quisquam ista Caesaris compellatione ad circumscribenda Georgicon tempora

---

1) Cf. e. g. Georg. IV. 294; — Voss p. 305 sqq. et 339 sq.

2) Cf. Hor. C. I. 12, 53: ‚*Ille seu Parthos Latio inminentes egerit iusto domitos triumpho*'.

3) Cf. Cat. 11, 2; Hor. Ep. I. 1, 45; 6, 6; Ovid. Met IV. 21.

usus est. Recentiores autem hunc quoque locum in controversiam vocarunt brevique post S. Pompeium a. 718/36 devictum eum scriptum esse plerique credunt [1]). Dissentit praeter Schaperum nimis obiter rem stringentem (l. l. p. 5 sq.) Borgius, qui versus illos ad a. 722/32 ineuntem referre iubet (l. l. p. 14 sqq.). De hac opinione infra agendum erit. Ego me fateor adstipulari Thiloni qui in ambiguo censet relinquendum esse libri primi exordium utrum a. 718/36 an paullo ante Actiacam pugnam compositum sit (l. l. p. XII.).

Transeamus igitur ad alterum quod in fine libri primi legitur testimonium certius. Ubi maxime respiciendi sunt v. 509 sqq.:

hinc movet Euphrates illinc Germania bellum,
vicinae ruptis inter se legibus urbes
arma ferunt: saevit toto Mars impius orbe.

Sed quae tempora his verbis Vergilius significare voluerit summa est dissensio. Alteri enim [2]) versus illos a. 718/36 vel 719/35 scriptos esse volunt, alteri [3]) non multo ante bellum cum Antonio gestum.

Mihi prior sententia longe praestare alteri videtur, quia superato S. Pompeio (v. 504), Parthis denuo bellum parantibus (v. 509), quibuscum hieme anni 718/36 Antonius pugnavit [4]), iam tum etiam seditionibus Etruriae et Alpinarum Illy-

[1]) Franke p. 23; Ribbeck Lect. Verg. p. 1; Proleg. p. 14 sq.; Röm. Dicht. II, 40 sq.; Bockemüller Vergils Georg. nach Plan und Motiven erläut. 1874 Stade p. 10.

[2]) Voss p. 211; Jahn p. XXII. sq.; Franke p. 23 sq.; Forbiger in edit. Verg. (1872 [4] Lips.) vol. I. p. 284 sq.; Glaser l. l. p. 571 sq. et in libro: „Vergil als Naturdichter und Theist" (Gütersloh 1880) p. 158 sq — Ribbeckius cum idem ante iudicasset (Lect. Verg. p. 1) postea in alteram sententiam discessit (Proleg. p. 15 sqq.; Röm. Dicht. II. 42).

[3]) Delille l. l. p. 116 not. 77; Schaper p. 4; Borgius p. 16 sqq. — Heynius de apparatu belli Actiaci cogitans (vol. I. p. CXXIII. et 382) parum angustis finibus tempus circumscripsit. Thilo hic quoque in suspenso rem relinquit (p. XIII.).

[4]) Cf. Dio 49, 25 sqq; Plut. Ant. 38 sqq.

ricarumque gentium, Tauriscorum scilicet et Pannoniorum, imminentibus[1]), quos ut prope fines Germaniae habitantes non nimis audacter poeta *Germanos* (v. 509) appellasse mihi videtur, aptissime versus illi fundi poterant. Etiam *iuvenem* (v. 500) Octavianum a. 718/36 vel 719/35 vicesimum septimum octavumve vitae annum agentem paullo aptius nominatum fuisse crediderim quam quattuor sive quinque annis post. Contra si tempora Actiacum proelium praecedentia describi sumimus vix habent quo referantur verba ‚*movet . . . Germania bellum*' (v. 509). Neque enim tum in his regionibus pugnatum esse usquam traditur: quid vero actum sit, non quid verisimiliter acciderit[2]) in tali quaestione quaerendum est. Porro verissime Jahnius monuit Caesaris triumphos (v. 504) illo tempore commemorari vix potuisse. Alia ad hanc opinionem refellendam, illam confirmandam perbene Glaserus attulit.

Libri secundi v. 161—164

an memorem portus Lucrinoque addita claustra
atque indignatum magnis stridoribus aequor,
Julia qua ponto longe sonat unda refuso
Tyrrhenusque fretis inmittitur aestus Avernis?

ante a. 717/37 scribi non potuerunt. Nam hoc anno Octavianus „portum Julium . . . inmisso in Lucrinum et Avernum lacum mari effecit" (Suet. Aug. 16)[3]).

Eiusdem libri v. 170 sqq. vidimus ad exeuntem a. 724/30 spectare.

Jam referam quid vulgo iudicetur de huius libri v. 495 - 499:

illum non populi fasces, non purpura regum
flexit et infidos agitans discordia fratres
aut coniurato descendens Dacus ab Istro,
non res Romanae perituraque regna, neque ille
aut doluit miserans inopem aut invidit habenti.

Omnes enim iure v. 497 ad Dacorum a. 723/31 incur-

---

[1]) Cf Dio 49, 34; Liv. epit. 131; Appian bell. civ. V. 145.
[2]) Borgius p. 17.
[3]) Cf. etiam Hor. Ep. II 3, 63 sq.; Dio 48, 50; Vell. II. 79.

sionem[1]) et v. 496 ad Phraatis et Tiridatis discordias a. 724/30 ab Octaviano sedatas[2]) referunt[3]). Nam quod Ribbeckius (Proleg. p. 18 sq.) scholiastae cuiusdam explicationem secutus v. 496 de Eteoclis et Polynicis vel de alio fratrum discidio fabulis insigni intelligere vult, non solum plane alienum esse a consilio huius loci sentio, sed ne tum quidem probari posset, si ille iure haesisset in eo quod *,fratres'* poeta nominavit eos qui ne propinquitate quidem coniuncti fuisse videntur. At hoc Vergilius poeticae magis artis quam historicae fidei ratione habita ob eam causam, ut opinor, instituit quo clarius pateret quantum esset discrimen inter agricolarum vitam beatam ac socordem (v. 483 sqq.)[4]) et populorum regumque scelera et discordias non externis tantum bellis turbatorum, sed se ipsos quamvis una e stirpe ortos et prope fratres dilacerantium. Qua in re eo minus offendendum puto quod non in voce *,fratres'*, sed in *,infidos'* summa sententiae vis posita videtur. Sed hoc utcumque est, certe v. 495 sqq. scripti sunt a. 724/30 non exeunte scilicet, sed antequam Parthicas res Octavianus ordinare incepit.

De tertii libri v. 26—33:

---

[1]) Cf. Dio 51, 23; Liv epit. 134 sq.; Hor. Sat. II. 6, 53; C. III. 6, 13; III. 8, 18. — Mommsen l. l. p. 130; Lachmann in Frankii fast. Horat. p. 240 (= opusc. II 80 sq.).

[2]) Cf. Dio 51, 18; Justin. 42, 5 sq.; Hor. C. III 8, 19 sq.; II. 2, 17 sq.; I. 26, 5. — Mommsen l. l p. 135 sqq. — v. s p. 10 sq.

[3]) Voss p 442; Heyne p. 487; Jahn p. XXIII. et 378; Franke p. 24 not; Borgius p. 9; Thilo p. XIII.

[4]) Vergilium in hac vitae rusticae pulchra descriptione (v. 458 sqq.) memorem fuisse Horatii satirae primae libri primi maximeque v. 458 sq. ad huius carminis tenorem expressisse (cf. Hor. S. I. 1, 4: *,O fortunati mercatores . . .'*), tum Venusinum rursus in iambo altero Mantuani illos versus ante oculos habuisse dubites num recte Kirchnero duce (Quaest. Horat. 1834 Numburg. p. 29), Frankius (p. 26 et 124) coniecerit. Neque enim tanta in singulis similitudo est ut concedatur oporteat fieri non posse quin alter poeta alterius vestigia presserit, neque quod in cogitatione et sententia simile videtur non potest aequo iure cum ex universo rei publicae statu tum ex hominum ipsorum natura atque indole ortum esse: cf. Lachmann apud Frankium p. 236 (= opusc. II. 78).

in foribus pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridum faciam victorisque arma Quirini,
atque hic undantem bello magnumque fluentem
Nilum ac navali surgentis aere columnas.
addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphaten
fidentemque fuga Parthum versisque sagittis
et duo rapta manu diverso ex hoste tropaea
bisque triumphatas utroque ab litore gentes.

controversia quam dudum crederes diiudicatam rursus mota est. Cum enim fuissent qui v. 30 sqq. ad a. 734/20 spectare censerent[1]), hanc sententiam quamvis iam antea argumentis satis reprobatam[2]) denuo protulit Tittlerus[3]). Qui ut evinceret Georgica licet a. 724/30 vel 725/29 iam absoluta (IV. 559 sqq.) non ab ipso Vergilio tota edita, sed librum tertium quartumque ab amicis post mortem poetae primum in lucem prolatos esse seriora tempora hoc quidem uno loco notari contendit. Prooemium enim libri tertii e duobus consarcinatum esse sibi et Glasero[4]) fere persuasit, quorum alterum v. 1—2, 3—7, 40—48 complectens a. 724/30 conditum, alterum, v. 3—7, 8—45, decem annis post compositum esse inde conclusit quod illic poeta se ‚*mox*' Caesaris facta versibus persecuturum esse promittit (v. 46 sqq.), hic vero non solum ad Aeneida iam paene perfectam respicere videtur (v. 34 sqq.) sed etiam ad res a. 734/20 ab Augusto feliciter gestas.

Primum de v. 26—33 quaerendum est. Templum in honorem Caesaris prope Mincium se exstructurum esse Maro pronuntiat (v. 13 sqq.) cuius in foribus victoriae imperatoris depingentur (v. 26—33).

V. 26—29 de pugna Actiaca intelligendos esse manifestum est, neque de his quisquam dubitat. Ambigitur autem

---

1) Imprimis Vossius p. 528 sqq.

2) Cf. Ruaeus p. 172 sq.; Heyne p. CXXIV. et p. 507; Jahn p. XXIV. sq. — Ribbeck Proleg. p. 20 sq.

3) Ueber die Zeit der Veröffentlichung der Georg. Vergils 1857 Brieg p. 12 sqq. et p. 17.

4) Verg. als Naturdichter u. Theist p. 174 sqq.

de versibus insequentibus (30—33), quos pauci ad a. 734/20 [1]), longe plurimi [2]) ad a. 724/30 vel 725/29 referre iubent. Sed v. quidem 30 sq.:

addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphaten
fidentesque fuga Parthum versisque sagittis

optime ad a 724/30 exeuntem vel summum ineuntem 725/29 quadrare vix poterit infitias ire qui meminerit Octavianum statim post victoriam illam navalem Aegyptumque domitam (v. 26 sqq.) in Asiam transgressum *ad altum Euphraten bello fulminasse* (IV. 560 sq.) et *extremis Asiae in oris Indum Romanis arcibus avertisse* (II. 171 sq.). Neque enim quidquam huic interpretationi refragatur et accurate poeta in hac victoriarum enumeratione temporum ordinem servasse videtur, nam Actiacum Alexandrinumque bellum (v. 26—29) re vera excepit Asiatica expeditio (v. 30—31). Restat ut in v. 32—33 inquiram. Hic interpretes nonnulli verba *,duo rapta manu diverso ex hoste tropaea'* rati sunt pertinere ad signorum illam restitutionem (a. 734/20).

At hanc explicationem verba ipsa adeo non flagitant ut eam contra, si quid sentio, repudient. Equidem Vergilium, si signa „poscenti“ Augusto (Suet. Aug. 21) a Parthis reddita significare voluisset, non puto ita locuturum fuisse: *,duo rapta manu diverso ex hoste tropaea'*, cum considero qualia de illa re et ipse Vergilius et alii poetae aequales cecinerint (v. s.p. 9 sq.). Quanto igitur rectius verba illa referemus ad victorias Octaviani versibus proxime antecedentibus (26—31) commemoratas. Porro si quidem Aeneis *Caesaris nomen fama tot latura per annos Tithoni prima quot abest ab origine Caesar* (v. 47 sq.) a. 734/20 paene absoluta et ipsi Augusto cognita fuit [3]), non otiosa quaestio videtur cur tandem Vergilium animum induxisse nobis fingamus ut Georgicis decem annis ante ad finem perductis — nam hoc ne Tittlerus quidem negat — insereret

[1]) Delille p. 239 not. 8; Voss p. 528 sqq.

[2]) Ruaeus p. 172 sq.; Heyne p. 507; Jahn p. XXIV sq.; Franke p. 24; Ribbeck Proleg. p. 20 sq.; Borgius p. 10 sqq.; Thilo p. XIII

[3]) Donat p. 61, 14—62, 4 R.

rerum novissime gestarum memoriam? Denique si re vera v. 26—33, nec non l. II. v. 170 sqq., 496[1]), l. IV. v. 559 sqq., quibus Augusti facta celebrantur, serius a Vergilio adscripti essent, qui tandem quaeso explicari posset neque ipsum Augusti nomen, a. d. XVII. Kal. Febr. a. 727/27 Octaviano inditum[2]), neque Janum a. 725/29 clausum[3]), neque triplicem triumphum eodem anno actum[4]) usquam in Georgicis commemorari? Atqui in Aeneide non solum Augusti nomen occurrit (VI. 792; VIII. 678), sed etiam triumphi illius splendidissimi poeta aperte mentionem fecit (VIII. 714) et ludorum in memoriam Actiacae victoriae a. 726/28 primum editorum (III. 280)[5]) et signorum a Parthis a. 734/20 restitutorum (VII. 606)[6]).

Ceterum quamvis in hac tota templi descriptione (v. 13—39), quam minus commode ad Aeneida[7]) quam ad aliud carmen heroicum tum quidem a poeta mente conceptum quadrare crediderim[8]). Vergilius habenis ingenio immissis Octaviani facta aliquanto augere et exornare videatur, tamen vix opus est statuere quod nonnullis placuit[9]) res futuras eum vaticinari, non gestas respicere. Nihil igitur in v. 26—33 inest quod non ante Octaviani ex Oriente reditum, h. e. ante quintum fere vel potius primum mensem a. 725/29 — nam res quae ibi commemorantur iam exeunte a. 724/30 gestae sunt (v. s. p. 12 sq.) — scribi apte potuerit[10]).

---

1) Cf. Heyne vol. I. p. 488.

2) Mommsen C. I. L. vol. I. p. 384; Res gestae Aug. p. 149.

3) Mommsen Res gest. p. 50 sq.

4) Mommsen p. 10; — v. s. p. 12.

5) Mommsen p. 41 sqq.; Heyne vol. II. p. 483.

6) Cf. Heyne vol. I. p. CXXIII sq.; Jahn p. XXV; Ribbeck Proleg. cap. VI; Thilo p. XV. — Num ad Jani portas a. 725/29 clausas Aen. l. I. v. 293 sq. spectent (cf. Heyne l. l.; Jahn l. l.; Ribbeck Prol. p. 64) ambigi potest.

7) Cf. Voss p. 519 et 523; Jahn p. XXV; Tittler p. 13.

8) Cf. Ribbeck Proleg. p. 44 sq. et p. 56; Röm. Dicht. II. 53. — Glaserus v. 13—29 ad perficienda Georgica refert! (l. l. p. 174 sq.).

9) Cf. Manso Virgil von der Landwirthschaft 1783 Jena p. 363 sq.; Heyne vol. I. p. CXXIV. et p. 508.

10) Quid Tittlerus vellet cum diceret: *„so viel steht fest, dem Jahre 724 gehören sie* (v. 26—33) *nicht an; denn überall, wo Völker genannt werden, liegen sie dem Sieger schon zu Füssen“* (l. l. p. 12) ego dispicere non potui.

Jam videamus quo iure Tittlerus dixerit (l. l. p. 12 sq.) aliam rei publicae vel principis condicionem in v. 26 sqq., aliam in v. 46 sqq. describi. Sed tota haec opinio non nisi perversa vocis ‚*ardentis*‘ (v. 46) interpretatione continetur. Quam Tittlerus sic explicat: „*die erst in der Ausführung begriffenen (Thaten Caesars)*“ et tum pergit (p. 13): „*Schon dieses Wort zeigt aber, dass jeder der beiden Abschnitte v. 10 bis 39 und 46—48 einer verschiedenen Zeit angehört: dort Caesar-Quirinus, der durch sein Glück, seine Thaten schon zum Gott geworden, hier noch Caesar-Octavianus im heissen Kampf begriffen.*“

Sed cum hanc explicationem pravam esse nemo non sentiat — possunt enim, opinor, Caesaris pugnae vel nostra aetate non absurde „ardentes“ nominari — sequitur totam ratiocinationem, quae prorsus nullo insuper temporum indicio certo confirmatur, stare non posse.

Sed haec hactenus. Omitto enim multa quae contra Tittlerum a Ribbeckio (Proleg. p. 20 sqq.) et a Borgio (p. 23 sq. et p. 40) nec non a Glasero (l. l. p. 174 sqq.) recte disputata sunt [1]).

Copiosius autem de hac opinione agere oportuit ideo quod ea nuper Glaseri (l. l.) fere adsensum tulit et vel Coningto hanc rem diiudicare ausus non est (l. l. vol. I. p. 147; vol. III. p. 475). Alia quae alii hoc loco temptarunt infra pertractabo.

Jam cum in quarto Georgicon praeter versus extremos de quibus iam dictum est temporum notatio non inveniatur omnia indicia plus minusve certa [2]) iuvat breviter comprehendere, quo clarius perspiciatur quid hinc ad definienda Georgicon tempora redundet. Libri primi v. 498 sqq. a. 718/36 vel 719/35 compositos esse veri est simillimum; secundi v. 161 sqq. post a. 717/37 scripti, eiusdem libri v. 170 sqq. ad exeuntem a. 724/30 referendi, eodem anno v. 496 sqq. conditi sunt; tertii libri v. 26 sqq. ad a. 724/30 exeuntem spectant;

---

[1]) Cf. etiam Heyne p. CXXIV. et p. 507; Jahn p. XXIV. sq.; Thilo p. XIII.

[2]) Omitto l. I. v. 24 sqq.; v. s. p. 15 sq.

eodem tempore Vergilium operi ultimam imposuisse manum libri quarti v. 559 sqq. documento sunt.

Georgica igitur quin exeunte a. 724/30 perfecta sint dubitari nequit. De tempore autem quo ea condi coepta sint ex carmine ipso nihil efficitur nisi libri alterius v. 161 sqq. ante a. 717/37 scribi non potuisse. Temporum autem indicium quod ultra a. 724/30 exeuntem pertineat exstat nullum[1]). Nunc veterum auctorum testimonia perscrutanda.

Donatus in vita Vergiliana tradidit: „*bucolica* (Vergilius) *triennio georgica VII Aeneida XI perfecit annis*" (p. 60, 5 R.); porro (p. 61, 1 R.): „*georgica reverso post Actiacam victoriam Augusto atque Atellae reficiendarum faucium causa commoranti per continuum quatriduum legit*"; idem Vergilium primum ad Bucolica, deinde ab Georgica, novissime ad Aeneida componendam accessisse auctor est (p. 58, 20 R.).

In vita Serviano commentario praefixa leguntur haec (vol. I. p. 2,7 Thilo): „*tunc ei proposuit Pollio ut carmen bucolicum scriberet, quod eum constat triennio scripsisse et emendasse. item proposuit Maecenas Georgica, quae scripsit emendavitque septem annis. postea ab Augusto Aeneidem propositam scripsit annis undecim, sed nec emendavit nec edidit.*"

Vita quae Probi nomine fertur habet haec: „*scripsit bucolica annos natus VIII et XX*" (p. 53, 8 R.; p. 1, 12 Keil; cf. p. 7, 7 Keil); item Servius vol. III. p. 3, 26 Thilo): „*sane sciendum Vergilium XXVIII annorum scripsisse bucolica*".

Traduntur igitur de temporibus carminum Vergilianorum haec: Bucolica Vergilius scripsit, i. e. scribere vel edere coepit[2]), duodetriginta annos natus a. 712/42 vel 713/41[3]), perfecit triennio a. 715/39; Georgica septennio composita et Caesari ab Actiaca victoria reverso recitata, certe et ante inchoatam Aeneida et post absoluta Bucolica, i. e. intra a. 715/39

[1]) Cf. Jahn p. XXV.; Ribbeck Proleg. p. 22; Schaper p. 3-9; Borgius p. 6—21; Thilo p XII

[2]) Cf. Ribbeck Proleg. 1; Krause Quibus temporib. Verg. eclog. scripserit 1884 Berol. p. 1 sq.; Feilchenfeld De Verg. bucol. temporibus 1886 Lips. p. 9 sq.

[3]) Cf. Krause p. 4; Przygode De ecl. Verg. temp 1885 Berol p. 57 sq.

et 725/29)[1]) scripta sunt, quoniam Aeneidi pangendae Vergilius undecim annos ab a. 725/29 usque ad diem fere supremum (a. d. XI. Kal. Oct. a. 735/19; cf. Donat. p. 63, 3 R.) consumpsit.

De recitationis Georgicon narratione (Donat. p. 61, 1 R.) fuere qui dubitarent[2]). Sed quae offensioni fuerunt verba: „*reverso post Actiacam victoriam Augusto*“ (p. 61, 1 R.) non ad septem et viginti illos dies referenda esse quos Octavianus a. 724/30 media hieme e Samo insula profectus Brundisii commoratus est seditionem militum compressurus[3]), sed ad felicem posterioris anni reditum optime interpretes ceteri perspexerunt[4]). Fides igitur huic Donati testimonio derogari non potest.

Ex libri quarti versibus extremis Georgica a. 724/30 exeunte absoluta esse constat. Jam adhibitis veterum auctorum testimoniis planum fit carmen a. 717/37 vel 718/36 inchoatum esse, dummodo de septem annis illi verum tradiderint: nam de tempore quo Vergilius Georgicis primam manum imposuisset ex carmine ipso vidimus elici nihil posse.

Donati autem et Servii auctoritatem Schaperus (l. l. p. 2) eo studuit improbare quod septem annos quattuor libris conficiendis nimis magnum spatium esse dixit. At hoc neque necessarium argumentum neque verum omnino est primum quia in versibus faciendis quanta diligentia et cura Vergilius fuerit diserte veteres tradunt[5]); tum, quod gravius est, — mitto enim quod plurimos Graecorum Romanorumque scriptorum libros de re rustica evolvisse Vergilius fertur[6]) quo melius praeparatus ad persequendum argumentum suum accederet — quia nimis multum temporis in quattuor Georgicon libris componendis non

---

[1]) Hinc Phocae v. 96 sqq. (p. 71, 31 R.) explicandos esse Ribbeckius (Proleg. p. 13) probabiliter opinatur.

[2]) Heyne vol. I. p. XCII. et CXXII.; Jahn p. XXV.

[3]) Suet. Aug. 17; Dio 51, 1.

[4]) Ruaeus vit. Virg. ad a. 724; Ribbeck Proleg. p. 14; Borgius p. 6 not. 6.

[5]) Quintil. X. 3, 8; Donat. p. 59, 12 R.; Gell. XVII. 10, 2.

[6]) Serv. ad Georg. I. 43; II. 215; Quintil. X. 1, 56.

consumpsit qui decem eclogas tribus annis condidit, Aeneida undecim scripsit neque vero perfecit [1]).

Jam si de fide illius testimonii quaeritur non est quod diu moremur. Nam vitam Vergilianam breviorem, h. e. integriorem quae Donati nomine traditur fere totam ex Suetonii de viris illustribus libro illustri exscriptam esse viri docti nunc omnes consentiunt [2]). Cum autem testis in hisce rebus locupletior Tranquillo vix possit inveniri neque ipsum testimonium quidquam habeat quod credi non possit, sine ulla dubitatione ea quae Donatus in vita illa de temporibus Georgicon scribit in usum nostrum vertere possumus, quae praesertim non repugnent, immo optime concinant cum indiciis ex poemate ipso depromptis, et cum ea quae de Bucolicis ibi leguntur (p. 58, 21; 60, 5 R.) — de Aeneide autem dubitari omnino non potest quin vera sint quae Suetonius refert (p. 60, 6 R.) sive ad hoc carmen sive ad alius epici carminis consilium Georgicon libri tertii v. 46 sqq. pertinere censes — egregie omni ex parte conveniant cum temporum rationibus quae in his carminibus hic illic deprehenduntur. Nam post inanes multorum criticorum opinationes [3]) nunc iure in dies magis sententia probatur re vera tribus eis annis quos Donatus, Probus, Servius indicant Bucolica scripta esse. Itaque hinc quoque non nulla fides testimonio de Georgicon temporibus accrescit. Jam pro certo exploratoque ponere licet Georgica ab a. 717/37 vel 718/36 usque ad a. 724/30 exeuntem composita et ad finem perducta esse.

Hoc cum constaret de editione huius carminis vix opus fuit copiose agere. Equidem enim consentaneum duxerim neque argumentis extrinsecus petitis stabiliendum Georgica brevi

---

[1]) Cf. Conington vol. I. p. 147.

[2]) Cf. Gronow in edit. Burmanni (1746 Amstel.) p. II. not. 3; Jahn edit. Pers. (1843 Lips.) p CXLI; Reifferscheid Quaest. Sueton. p. 398 sqq.; Riese De comment. Verg. qui M Val. Probi dicitur 1862 Bonn. p. 24; Ribbeck Proleg. 3 sq.; edit. Verg. min. p. VI. sq.; Sellar The roman poets 1877 Oxf. p. 100 sqq.; Thilo l. l. p. V.

[3]) Quae quot qualesque fuerint ex Krausii enumeratione (l. l. p. 5) cognoscere possis.

post perfectionem a Vergilio prolata esse. Immo quoniam poetam inde ab a. 725/29 usque ad mortem in Aeneide componenda occupatum fuisse certo scimus, eum causas afferre oportet qui persuadere nobis vult Georgica septennio conscripta atque ipsi Octaviano recitata non statim post a. 724/30 exeuntem in vulgus prodiisse. Sed cum fuerint qui aliter sentirent videamus quae proferantur.

In Tittleri quidem opinione refutanda tempus perdere opus non videtur[1]), quia quod ei placuit Georgicon priores tantum libros a Marone ipso editos, tertium vero quartumque a. 725/29 perfectos post mortem demum poetae evulgatos esse (l. l. p. 16 et 21) Vergilius quantum quidem potuit ipse redarguit cum et primis et extremis carminis versibus (I. 1—4. IV. 559—566)[2]) quattuor libros una omnes a se editos aut ad editionem certe paratos esse certissimum prodidit documentum. Praeterea Donatus Georgica a Vergilio edita esse antequam Aeneis scribi coepta est expresse refert (p. 58, 20 R.): „*mox* . . *ad bucolica transiit. . . deinde georgica in honorem Maecenatis* (*edidit*) . . . *novissime Aeneidem inchoavit.*“ Cuius testimonii vim qua ratione Tittlerus si non infregisse, at labefactasse certe sibi visus sit referre operae pretium non esse concedet quicumque quae ille protulit (l. l. p. 3 sq.) perlegerit.

Etiam ex Suetonianis verbis (p. 64, 5 R.): „*ceterum eidem Vario ac simul Tuccae scripta sua sub ea condicione legavit, ne quid ederent quod non a se editum esset*“ et ex Servianis (vol. I. p. 2, 7 Thilo): „*carmen bucolicum . . . cum constat triennio scripsisse et emendasse. item . . . Georgica . . . scripsit emendavitque septem annis . . . Aeneidem scripsit annis undecim, sed nec emendavit nec edidit*“ multo rectius aliis (v. i. p. 43 sqq.) Borgius (p. 23) colligendum aut cogitatione supplendum esse statuit ut Bucolica ita Georgica ab ipso auctore emissa esse. Nec male Gellii verba (XVII. 10, 5) conferuntur: „*quae reliquit* (Vergilius) *perfecta expolitaque qui-*

---

[1]) Cf. Ribbeck Proleg. 43 sqq.; Schaper p. 8 sq.; Glaser Verg. als Naturdichter und Theist p. 165.

[2]) Cf. etiam libri secundi, tertii, quarti initium.

busque imposuit census atque dilectus sui supremam manum omni poeticae venustatis laude florent".[1]) Certum igitur est Vergilium ipsum priusquam ad Aeneida componendam accessit Georgica modo perfecta edidisse.

Accuratius de Borgii opinione disserendum. Qui Georgica a. 728/26 primum in lucem prolata esse putat sic ratiocinatus (p. 21): „*Georgica . . . annis 722-725 scripta esse temporum descriptionibus, quae in ipso carmine inveniuntur, aperte significatur. Quum autem Donati et Servii testimoniis . . . intra septem annos Vergilium georgica perfecisse id est scripsisse et emendasse, comprobetur, anni 725—728 emendando tribuendi sunt.*" Primum autem si re vera temporum descriptionibus constaret Georgica tribus annis (722/32 — 725/29) perfecta esse, tum profecto mea quidem sententia grammaticorum testimonia reicienda potius fuerunt quam ita interpretanda ut primum totum opus triennio scriptum et ad finem perductum (cf. IV. 559—566), dein quattuor annis (725/29—728/26) „emendatum" esse credere iuberemur. Etenim si hoc significare Servius, aut quicumque illa scripsit, voluisset haud dubie longe aliis verbis rem extulisset. Praeterea componendi ratione summo opere miranda Vergilius usus esset si toto demum carmine absoluto emendandi munus subire animum induxisset et vel amplius temporis spatium perpoliendi labori quam conscribendi operae tribuisset, quem tamen scimus *cotidie plurimos versus dictare solitum retractando* (i. e. emendando) *ad paucissimos redegisse* (Donat. p. 59, 13 R.). Neque vero causa ulla est cur tali interpretatione verba Servii — de his enim solis agitur — vexemus, cum manifestum sit cur non simpliciter ille narraverit: „*Georgica septem annis scripsit*", sed addiderit: „*et emendavit*". Voluit enim docere Georgica et Bucolica — nam haec quoque commentator ait Vergilium „scripsisse et emendasse" — non scripta tantum, sed elimata, perpolita, emendata, ad edendum denique parata, nimirum etiam edita esse a poeta, Aeneida vero quominus emendaret morte matura eum esse prohibitum: nempe habemus eam imperfectam. Perperam

---

[1]) Cf. Ladewig Jahns Jahrb 1856. vol. 73, p. 463.

igitur in verbis Servianis scribendi notionem ab emendando segregantes a patente recta interpretandi via ultro deflectunt insolitam et pravam ingressuri. Sed de verbis illis quae etiam alios mirum quantum exercuerunt infra rursus agendum erit (v. p. 43 sqq.). Nunc, quod fundamentum Borgii sententiae est, videamus quomodo ille demonstraverit tribus annis (722/32—725/29) Georgica composita esse.

Librum primum ab ineunte a. 722/32 usque ad medium a. 723/31 scriptum esse contendit (p. 14—18). At hoc verum non est, si quidem v. 498—514 non ad a. 723/31 sed ad a. fere 719/25 quadrare supra ostendere vel probabilius reddere contigit (v. p. 16 sq.). Ac licet Borgius rectius ad a. 723/31 versus illos rettulerit, tamen minime probavit v. 24 sqq. ad a. 722/32 spectare. Cum enim hos versus inter a. 719/35 et ineuntem a. 722/32 scriptos esse concederet (p. 16), tamen ex his quattuor annis quibus eos assignare copia datur ultimum (722/32) elegit nulla alia de causa nisi quod ibi „*civitas in pace et tranquillitate virens depingitur quum extremis* (v. 500 sqq.) *sollicitudine et bellis turbetur*“ (p. 18). At haec ratio nulla est propterea quod res publica iam inde ab a. 719/35 „*in pace et tranquillitate*“ vivebat.

Sed ut hoc quoque concedatur, quod vero concedi non potest, primi libri v. 24 sqq. ad a. 722/32 iure referri, ne hinc quidem rite colligi posse arbitror poetam tum demum ad Georgica scribenda se convertisse. Prooemium enim totius operis eum composuisse priusquam ad argumentum ipsum aggrederetur non solum non necessarium aut demonstratum, sed ne probabile quidem est. Omnino Borgium in eo maxime falsum esse quod singulos libros, et librorum quoque partes, eo ordine quo nunc se excipiunt scriptos esse quasi consentaneum sumpsit cum per se veri simile est[1]) tum eo evincitur quod et quarti libri v. 559 sqq. et tertii v. 26 sqq. et secundi quoque v. 170 sqq., de quibus non recte Borgium iudicasse demonstravi, eodem fere tempore, scilicet a. 724/30 exeunte, conditos esse certum est. Itaque cum neque argumentis Borgius confirmare potuerit Ge-

[1]) Cf. quae de Aeneidos compositione Donatus narrat (p. 59, 16 R.).

orgicon exordium (I. 24 sqq.) ad eum maxime quem libidine sumpsit annum (722/32) respicere, neque evertere sententiam plurimis acceptam, qua v. 498 sqq. paullo post S. Pompeium devictum Vergilium fudisse putant, nulla ex parte comprobatum est Georgica a. 722/32 inchoata esse.

Sed de tertii et quarti libri temporibus vel mirabiliora vir ille doctus protulit. Quos septem fere mensibus, ab initio usque ad Sextilem anni 725/29. conscriptos esse censet. Ad initium enim huius anni libri tertii v. 26 sqq. refert quamvis res ibi descriptas a. 724/30 non egredi ipse concedat (p. 12); altera autem ex parte mense Sextili, quo Octavianus ex Oriente reversus Romam ovans ingressus est, totum carmen absolutum fuisse oportet (cf. IV. 559 sqq.). Sed sex septem menses ne cui nimis exiguum spatium viderentur, non modo causam cur poeta opus ad finem perducere properasset indagavit, meo quidem arbitrio haudquaquam probabilem, sed, quod multo minus placet, cotidianum fere pensum Vergilio tribuit (p. 13). At haec omnia possumus missa facere siquidem l. IV. extremos versus ad exeuntem a. 724/30 pertinere recte supra demonstratum est. Atque ut hoc quoque largiar primo vel summum altero a. 725/29 mense eos scribi potuisse, tamen ad Quintilem recedere profecto non licet. Tunc enim — ut omittam post initium a. 725/29 Octavianum in Asia res poetis celebrandas exsecutum non esse (v. s. p. 12 sq.) — sine dubio Italiam Caesar iam ingressus erat ita ut ineptus videri Vergilius deberet si tum, cum iam in eo esset ut imperator triumphans Romam intraret, poemati subscripsisset: ‚*Haec . . . canebam*[1]) . . . *Caesar dum magnus ad altum fulminat Euphraten*‘ e. q. s. Minime igitur Borgio contigisse crediderim ut Georgica intra a. 722/32 et 725/29 composita esse probaret.

Vellem denique de eo quid sentiret declarasset quod, si a. 722/32 ad Georgica scribenda Vergilium se applicasse

---

[1]) In voce „*canebam*“ praeteriti temporis notionem non magis inesse quam in eo quod Romani epistolis, nos libris subscribere solemus „dabam“ vel „scribebam“ hoc et hoc tempore cum ex tota sententia et natura epilogi istius tum maxime ex verbis quae sequuntur: ‚*dum . . . fulminat . . . dat . . affectat*‘ (v. 561 sqq.) apparet.

statuitur, inter Bucolica a. 715/39 perfecta et hoc carmen septem totos annos poeta cessasse videretur. Atqui sicut Aeneis Georgica (cf. Georg. III. 46—48) ita Georgica non magno spatio interiecto Bucolica excepisse eclogae decimae initium indicat. Suetonius confirmat (p. 58, 21—59, 8 R.)[1].

Refutatis his opinationibus dubitatio restat nulla quin Georgica ab a. 717/37 vel 718/36 usque ad a. 724/30 scripta a. 725/29 ab ipso Vergilio reditum fortasse Caesaris opperiente[2]) edita sint.

II.

Nunc ad quaestionem quam praecipue mihi proposui tractandam accedere licet. Georgicis enim emendandis etiam post a. 724/30 (vel 725/29), quo ea perfecta esse et indiciis et testimoniis optimorum auctorum constat, Vergilium operam navasse interpretes fere omnes consentiunt[3]). Primaria nimirum quaestio se offert qui tandem alterius atque adeo tertiae editionis suspicio nasci et iterum iterumque proferri et nunc vel vulgo probari potuerit. Mera coniectura eam ortam non esse consentaneum est. Originem sine dubio duxit e narrationibus quibusdam veterum auctorum quibus etiamnunc praecipua vis tribui solet. Quattuor enim grammaticorum testimonia exstant sane idonea quibus, si vera sunt, Vergilium in Georgicis a. 724/30 perfectis non acquievisse sed etiam postea carmen mutare atque elimare perrexisse comprobetur.

Gravissimum retractationis documentum semper habitum est haberique solet Servii narratio de Cornelii Galli memoria e Georgicon quarto a Vergilio a. 728/26 sublata.

Alterum tribuunt locum scholiastarum adnotationibus, quibus singula verba a poeta deletis prioribus lectionibus emendata esse tradunt. His subiungenda est Gellii narratio (VI. 20, 1).

---

[1]) Cf. etiam Wagner edit. Heyn. quart. vol. I p. 690: multo rectius de hac re iudicavit Conington l. l. vol. I. p. 147.

[2]) Cf. Thilo p. XIII.

[3]) Nonnullas sententias initio libelli enumeravi.

Porro vitae Suetonianae verbis quibusdam nonnulli usi sunt ut Georgica post mortem Vergilii iterum prodiisse evincerent.

Denique fuit qui affirmaret in Serviana vita retractationis Bucolicon et Georgicon mentionem fieri.

Sic cum retractatio Georgicon satis confirmata videretur mirum non est doctos homines ultro secundarum curarum indicia in carmine ipso invenire studuisse. Atque huius modi indicia quae nulla antiquorum testium auctoritate, sed mero recentiorum criticorum arbitratu et acumine continentur indagata sunt tria:

Primum rerum post a. 724/30 gestarum notationes.

Deinde numerorum ratio in altera libri quarti parte quam post Galli obitum compositam esse Servius auctor est a reliquo carmine summopere diversa.

Postremo manifesta retractationis inchoatae sed ad finem non perductae vestigia, velut dittographiae, loci sive imperfecti sive cum proximis nondum in concinnitatem redacti.

Quae cum ita sint disputatio de Georgicon retractatione in duas partes discedat oportet, quarum altera quattuor quae enumeravi grammaticorum antiquorum testimonia, altera criticorum inventa examinabuntur. Illa autem eo ordine tractabo ut primum de eis disseram quae ad alteram editionem ab ipso Vergilio curatam spectare videntur: scilicet Servii narratio de quarto libro post mortem Galli mutato[1]) et vitae Servianae nonnulla verba; tum de eis quibus Georgica post obitum Vergilii ab amicis denuo evulgata esse confirmari putant: quo accurate si rem spectamus non potest referri nisi unum Dona-

---

[1]) Credi enim nullo modo potest, quod Ribbeckio placuit (cf. Jahns Jahrb. 1857 p. 75 sq; praef. edit. min. p. XXIV sq.; Gesch. d. röm. Dicht. II. 51 sqq.), Vergilium, si re vera Galli laudes post et propter necem eius delevit sive sua sponte sive iubente Augusto, carmen mutatum non statim edidisse, sed permisisse ut vetitae aut certe sublatae illae laudes etiam septem per annos, usque ad a. 735/19, quo novam Georgicon editionem, ne ipso quidem poeta tum iam defuncto, sed Vario et Tucca auctoribus prodiisse Ribbeckius credit, Romanorum in manibus essent: cf. Ladewig Jahns Jahrb 1856 p. 462 sqq.

tianae vitae testimonium. Nam quae de singulis versibus vocibusque emendatis in scholiis Vergilianis passim leguntur utrum ad secundam recensionem a. 728/26 a poeta ipso emissam an ad hanc a. 735/19 a Vario et Tucca curatam referenda sint nequit diiudicari. Possunt enim lectiones illae emendatae quae feruntur aeque a Vergilio a. 728/26 atque ex schedis eius a 735/19 publici iuris factae esse, si quidem in perpoliendis Georgicis etiam post primam editionem poeta operam consumpsit. Quod cum in ambiguo relinquendum sit de his scholiastarum adnotationibus quarto loco agere libet.

Gravissimum secundarum curarum testimonium Servii de libri quarti parte altera a. 728/26 mutata narratio est. Quae nisi exstitisset nescio an numquam retractationis suspicio orta esset. Nam reliqua documenta prae Serviano isto plane nihil valere mox spero planum fore. Quale autem illud sit et cui auctori debeatur primum perscrutandum.

Servius ad ecl. X. v. 1 scribit haec (vol. III. p. 118, 4 Thilo): „*Hic* (Gallus) *primo in amicitiis Augusti Caesaris fuit: postea cum venisset in suspicionem, quod contra eum coniuraret, occisus est. fuit autem amicus Vergilii adeo, ut quartus georgicorum a medio usque ad finem eius laudes teneret: quas postea iubente Augusto in Aristaei fabulam commutavit.*" Idem ad Georg IV. 1 (p. 320, 6 Thilo): „. . . *sane sciendum, ut supra diximus, ultimam partem huius libri esse mutatam: nam laudes Galli habuit locus ille, qui nunc Orphei continet fabulam, quae inserta est postquam irato Augusto Gallus occisus est.*'

Eadem eisdem fere verbis in Donati vita Vergiliana ferebantur (ad p. 60, 5 R.): „. . . *usque adeo hunc Gallum Virgilius amarat ut quartus georgicorum a medio usque ad finem eius laudem contineret: quem postea iubente Augusto in Aristaei fabulam commutavit.*" Verum haec in integriore vita Suetoniana non exstant, sed in deteriores tantum libros interpolatione invecta sunt. Quare Reifferscheidius ea ut alia multa e textu merito expulit. Nec potest iure dubitari quin verba illa in vitam Donati ex ipsis Servii adnotationibus in-

lata sint¹). Itaque haec respicere omnino opus non est. Cum autem mutati Georgicon quarti proemii nulla apud ullum alium scriptorem mentio occurrat, quam maxime attendendum animoque tenendum est unius Servii auctoritate hanc rem, dignam profecto memoria, contineri. Servius autem duobus quidem locis de ea loquitur sed ita ut altero (Georg. IV. 1) ad priorem ipse legentes relegaret. Propterea haec duo testimonia in unum comprehendere atque unum dicere licet. Sed priusquam de fide narrationis quaeratur antea de discrepantia quae in verbis traditis exstat disseramus oportet. Priore enim loco Servius Vergilium Galli laudes ait in *Aristaei fabulam* commutasse, altero (ad Georg. IV. 1.) eum locum laudes illas habuisse refert *qui nunc Orphei continet fabulam.* In hac enim lectione codices Serviani conspirant excepto uno Parisino qui habet haec: „*qui nunc aristei et orfei continet fabulam.*“ Quam scripturam novissimus editor suo iure repudiavit et in Lionis quoque exemplari *Orphei* exaratum. *Aristaei et Orphei* uncis inclusum est. Veri enim simillimum est verba quae solus codex Parisinus exhibet „*Aristaei et*“ adiecta esse ab interpolatore qui aut accuratiorem et pleniorem reddere voluit Servii adnotationem aut discrimen quod inter hunc locum et priorem intercedere putabat hac ratione tollere vel levare. At sive hac sive illa ductus est causa certe opinione falsus est, nam discrepantia in verbis Servii re vera nulla est. Etenim non alia alio loco scholiastam referre evincitur eo quod ipse inferiore superiorem conferre iubet, quod sane non fecisset nisi utroque idem narrare voluisset. Tum vero Orphei fabulam solam Georgicis a Vergilio insertam esse non potuit omnino, si sanus fuit, tradere, quoniam illa cum Aristaei narratione tam arte cohaeret ut altera ab altera seiungi non possit. Contra manifestum est Servium eandem libri quarti partem (v. 315—558) altero loco „Aristaei,“ altero „Orphei“ fabulam nominasse, neque quisquam negaverit utroque nomine eum apte uti potuisse quo narrationem quae in posteriore parte libri quarti Georgicon legitur significaret.

¹) Cf. Ribbeck Proleg. 22.

Servius igitur, ut videamus quid tandem traditum sit, testatur Galli laudationem in Georgicis eum habuisse locum, qui nunc Aristaei fabulam continet, i. e. v. 315—558, et hanc fabulam laudationi illi iubente Augusto deletae Vergilium post mortem Cornelii Galli (a. 728/26) substituisse. Haec narratio si vera esset satis demonstraret Georgica ab ipso Vergilio a. 728/26 iterum edita esse. Nam in suis tantummodo schedis poetam laudes Galli delevisse, editas autem a. 725/29 Romanos usque ad a. 735/19 lectitasse dubito num cuiquam Ribbeckius probaverit (v. s. p. 31 not. 1). Utrum autem illa vera sit necne doctissimi viri in contrarias partes discedunt. Plurimi memoriam Cornelii Galli ex editis Georgicis a. 728/26 sublatam esse credunt[1]). Alii qui non nullis prohibentur causis quominus hoc sibi persuadeant Servii narrationem ita accipere suadent ut de mutatione carminis nondum editi cogitemus[2]). Multi denique Galli laudes aperte umquam in Georgicis celebratas fuisse negant et Servium aliquo errore deceptum esse statuunt[3]). Harum sententiarum alteram quam Tittlerus maxime et Borgius professi sunt stare non posse vel ex eis quae de temporibus Georgicon supra exposui (v. p. 8—23) apparet. Nam cur carmen nostrum a. 724/30 exeunte vel summum proximo anno ineunte sine dubio perfectum statim editum esse negemus plane nihil est nisi haec ipsa Servii narratio. Qua nimirum ne in circulo versemur pro argumento uti non licet, dum de fide eius quae motae sunt dubitationes

---

1) Cf. Voss p. 838; Voelker De Corn. Galli vita et scriptis 1840 Bonn p. 32 sqq.; Peerlkamp Mnemos. X. (1861) p. 305 sq.; Schaper p. 2.; Ribbeck Lect. Verg. p. 2 not.; Proleg. 24 sq.; Conington vol. I. p. 321 sq., vol. III. p. 475; Sellar p. 189; Teuffel Röm. Litt. 1890[5] p. 490. — Glaserus nomen tantum Galli, non laudes eius fuse celebratas, abolitum esse suspicatur (l. l. p. 190 sq.). In medio rem reliquit Beckerus („Gallus" 1863[3] p. 19 sq.). Boeckemüllerus cum de toto carmine, quod Antilucretianum esse voluit (l. l. p. 12), tum de hac quoque re opinionem professus est admodum miram (p. 12).

2) Cf. Tittler p. 12; Borgius p. 25; Wang De Servii ad ecl. X. 1 et georg. IV. 1 annotatis. 1883 Klagenfurt p. 12.

3) Cf. Ruaeus vit. Virg. ad a. 728; Heyne vol. I. p. XCI; Jahn p. XXI; Ladewig p. 463 sq.; Thilo p. XXIV. sq.

gravissimae sublatae sint. Ceterum etiamsi omnes sublatae essent nihilo tamen minus certum esset iam a. 725/29 Georgica in vulgus prolata esse. Sed tantum abest ut narratiuncula illa vera sit ut paene nullum verbum non firmis improbetur argumentis.

Primum enim quod Servius aperte dicit Galli laudationem Georgicon ultimum librum „*a medio usque ad finem*“ continuisse, numero igitur versuum non multo minore celebratam fuisse quam quae in locum eius cessit Aristaei fabula credi nullo modo potest. Praefracte enim negandum fieri potuisse ut Vergilius ullius hominis ampliorem ducentis versibus[1]) laudationem Georgicis insereret in quibus paucis Caesarem Octavianum, paucioribus Maecenatem, cui carmen ipsum dedicatum est, appellavit (I. 2; II. 41; III. 41; IV. 2, praeterea vero nullius hominis eorum qui tum fuerunt levissimam mentionem fecit. Huius argumenti vim Vossius videtur diligenter pensitasse cum, ne quid ab hac parte Servianae narrationis fidei detraheretur, eam iniret dissolvendae difficultatis viam ut memoriam Galli exstitisse quidem quondam in Georgicis, sed versibus tam paucis celebratam fuisse coniceret[2]) ut et removeri a Vergilio facile posset nec mirum esset ex paucissimis illis versibus nihil ad nos et vel ad grammaticos obscuram tantum famam pervenisse (p. 838 sq.). [3]) Hanc viam persecutus Voelkerus (l. l. p. 34 sq.) Galli laudationem a Vergilio inde sublatam esse opinatur ubi in descriptione Aegypti (IV. 287 — 295) codices nostri grave quoddam vitium contraxerunt. Sed Vossii Voelkerique sententia vel ob eam causam stare non potest quod expressis verbis Servius affirmat laudes illas quartum librum a medio usque ad finem continuisse. Praeterea si nullum Georgicon a. 725/29 editorum exemplar Aristaei et Orphei fabulam non habuit, difficile pro-

---

[1]) Ducentos enim et quadraginta quattuor versus Aristaei fabula complectitur.

[2]) Ceterum alio loco (p. 828) Vossius de hac re ita loquitur quasi crediderit laudes Galli ipsam Aristaei narrationem esse ut Aegypti ita Galli, Aegypti tunc praefecti, gloriae inservientem; v. i. p. 42.

[3]) Cf. etiam Glaser p. 190 sq.; Conington I. p. 321.

fecto intelligitur unde ortum sit quod Servius illam post Galli obitum demum pro huius laudibus insertam esse refert. Sin autem hanc rem a grammaticis mere fictam esse statuendum est, an totam narrationem Servianam aliis quoque gravissimis dubitationibus obnoxiam repudiare audacius est?

Ribbeckii opinionem eadem fortasse ex ratiocinatione atque Vossii ductam, qua Orphei tantum fabulam (IV. 457—527) pro Galli laudatione substitutam esse arbitratur[1]), nec probabilem esse nec codicum Servianorum auctoritate fulciri supra ostendere conatus sum. Cum igitur certum sit tantam Cornelii Galli laudationem quantam Servius in libro quarto infuisse auctor est locum in Georgicis habere non potuisse[2]), iam fides narratiunculae Servianae aliquantum, ut opinor, imminuta et infirmata est.

Quam ad evertendam alia accedunt argumenta. Primum enim quaerendum est quare memoriam Galli e carmine Vergiliano tollere Augustus iusserit. Qui huic, ut Suetonius narrat (Aug. 66), „*ob ingratum et malivolum animum domo et provinciis suis interdixit . . . Sed Gallo . . . et accusatorum denuntiationibus et senatus consultis ad necem compulso, laudavit quidem pietatem tantopere pro se indignantium, ceterum et inlacrimavit et vicem suam conquestus est, quod sibi soli non liceret amicis, quatenus vellet, irasci.*“ Quaecumque igitur causa fuit cur Gallus gratia imperatoris excideret[3]), certe ad mortem eum adduci Augustus noluit adductumque deploravit. Cum Suetonii autem testis integerrimi narratione Servianam fabulam minime convenire in aperto est. Aegre enim credendum est Augustum palam quidem Galli obitum luxisse, memoriam autem viri quem „*ad praefecturam Aegypti ex infima . . . fortuna provexerat*“ (Suet. Aug. 66) tanto persecutum esse odio ut ne carmine quidem eam posteris mandari sineret. Quod eo minus credi potest quia, si Vergilius, qua eum putant

[1]) Lect. Verg. p. 2 not.; Jahns Jahrb. 1857 p. 75; Proleg. p. 23; Jenaer Litteraturztg. 1874 p. 316; edit. min. p. XXIV; cf. Voelker p. 33.

[2]) Ruaeus vit. Virg. ad a. 728; Heyne p. XCI.; Voelker p. 33 sq.; Wang p. 14.

[3]) Cf. Becker ‚Gallus' Lpz. 1863 [3] p. 18 sq.; Voelker p. 36 sqq.

fuisse infirmitate[1]). iubenti Caesari obsecutus laudationem Galli sibi familiarissimi quattuor fere annis ante divulgatam e carmine removere instituisset, cum mutatione ipsa etiam causa mutationis patebat. Itaque quamquam nunc forsitan non potest diiudicari aut cognosci qua Augustus fuerit natura[2]) et quid imperatore dignum tum habitum sit, tamen adsentior Wangio cum dicit (p. 13) *„non Augusto id esse, sed Domitiani tyranni“* atque hac quoque ratione narratiunculae Servianae auctoritatem infirmari censeo. At si forte quamvis repugnante Suetonio credere possis Augustum Galli gloriae adeo infestum fuisse ut vel inanes laudes poeticas mortuo invideret, cur tandem quaeso ille e Georgicis eas sustulisse satis habuit? cur, ut alios poetas omittam[3]), ipsum Vergilium in sexta et in decima ecloga Gallum canere passus est? An credamus Servio qui *„altius intuenti“* in decima vituperationem inesse ait (p. 118, 14 Thilo), aut Schapero qui post mortem Galli hoc carmen compositum esse sibi persuasit?[4]) Sane ille *„non debet nos movere*, inquit, *quod, cum mutaverit partem quarti georgicorum, hanc eclogam* (Vergilius) *sic reliquit“* (p. 118, 12 Thilo): sed id ipsum quod Servius causam quaerebat — et inveniebat quoque quamvis ineptam — cur eclogam decimam Caesar deleri non iussisset documento est illum hac re ipsum motum esse. Et nos quoque ea iure movere deberet nisi de fide totius narrationis iam gravissimae nobis ortae essent dubitationes. Neque enim ita dirimi difficultas potest, quod nescio cui in mentem venit, ut memoriam Galli hinc auferri, illic relinqui Augusto placuisse dicas propterea quod eclogarum non tanta fuisset fama quanta Georgicon, quoniam illas his non minore

---

1) Teuffel l. l. p. 490.

2) Cf. Tacit. ann. IV. 34.

3) Cf. Prop. II. 34, 91 sq.; Ovid. Am. I. 15, 29 sq.; III. 9, 63; Ars am. III. 334; Rem. am. 765; Trist. II. 445; IV. 10, 53; V. 1, 17.

4) Schaper Jahns Jahrb. 1864 vol. 89 p. 654 sq. et 722; Symbolae Joachim. I. 1880 Berl. p. 33 sq.; edit. Verg. ad ecl. X 1.; sed cf. Ribbeck Proleg. 11; Flach Jahns Jahrb. 1879, vol. 119 p. 796; Feilchenfeld l. l. p. 42 sqq.

plausu Romanis acceptas esse certo scimus[1]). Rectissime igitur Wangius (p. 11) *„eadem*, inquit, *erat causa, si qua erat, mutandae vel delendae eclogae decimae* (nec non sextae) *quae erat causa libri quarti Georgicon mutandi“*.[2])

Ex hic quae exposui simul apparet eos non recte iudicare qui, cum persuadere sibi non possint ipsum Augustum Galli laudes exstingui iussisse, poetam ultro removisse illius memoriam e carmine iam pridem publici iuris facto statuunt. Nam ut omittam huic opinationi Servium ipsum refragari qui iubente Augusto Georgicon quartum librum mutatum esse expresse refert, si in laudatione ista Caesar non offendit, nihil profecto erat cur Vergilius eam tollere animum induceret foedo ergo principem obsequio[3]). Sin autem hoc a se impetrare potuit etiam ecloga decima et sexta mutandae aut delendae fuerunt.

Sed gravissimae restant causae. Primum summo opere mirandum esset versuum illorum qui dimidium fere libri quarti occupaverant et per quattuor annos (725/29–728/26) pervulgati erant ne unum quidem verbum, immo ne tenuem quidem famam aliunde ad nos pervenisse. Neque enim editi carminis mutatio tam conspicua aetate illa usitata fuisse aut in obscuro facile manere potuisse videtur ita ut mirum non sit silentio eam omnes scriptores usque ad Servii tempora praeteriisse. Tum vero versus delendi qui poterant omnino plane deleri, cum carminis multo ante emissi apographa quoquoversus per totum imperium iam circumlata essent quae nullo negotio unusquisque evolvere nec non describere potuit? Atque

---

1) Cf. Donat. p. 60, 6 R.; Serv. ad. ecl. VI. 11; Tacit dial. 13; Hor. S. I. 10, 44 sq.; Prop. II. 34, 67 sqq.; Ovid. Am. I. 15, 25 sq.

2) Huius argumenti vim nequaquam puto labefactatam esse eo quod Ribbeckius dicit (Röm. Dichtung II. 51): *„Dass . . . von den Eklogen die sechste und zehnte erhalten sind, beweist allein, wenn wir es auch sonst nicht wüssten* (sed cf. Proleg. p. 29; v. i. p. 45 not. 3), *dass die Bucolica nach ihrer ersten Veröffentlichung nicht von neuem herausgegeben sind“*. Nam Georgica iterum edita esse non demonstratum est — quod qui haec legerit opinari possit — sed demonstrandum.

3) Cf. Peerlkamp l. l. p. 306.

etiamsi fando tantum grammatici, maxime Vergilianorum carminum interpretes, rem illam audissent, nonne eos enixe operam daturos fuisse putamus ut „prioris“ editionis exemplar vel inspicerent atque inde litteris quaedam mandarent?[1] Neque Augustus aut Vergilius non potuit non perspicere se non quod cuperet sed contrarium potius effecturum esse. Itaque vel ex eo quod mutationis Georgicon prorsus nulla alibi exstat mentio iure puto colligendum esse numquam laudes Galli in carmine illo aperte celebratas esse. Omnia autem quae attuli argumenta si comprehendimus, dubium esse non potest quin Servii narratio de mutata Georgicon parte novissima absurda sit et tali fabula secundarum curarum suspicio comprobari minime possit. Nunc quaestio commemoranda est quam sane non otiosam viri docti moverunt. Fuerunt enim qui dicerent digressionem quae nunc in Georgicon libro quarto legitur si non abhorrere a consilio carminis, at certe minus aptam esse quam quas antea hunc locum obtinuisse ferunt laudes Galli[2]. In Georgicis, ut in didactico opere, nullius nisi Caesaris et Maecenatis, summorum in re publica virorum ac Maroni praecipue praedicandorum, mentionem parcam fieri iam antea commemoratum est. Gallus vero quid belli domive gesserat ut hunc potissimum dimidio fere libro celebrare Vergilius dignaretur? Et si habuisset quod tam profusa laudatione persequeretur qua ratione eam cum didactici carminis argumento, maxime cum apium cultura quae in priore parte libri quarti describitur, consociatam fuisse nobis informemus? Vide quid respondeatur: Cornelius Gallus eo ipso anno quo Georgica ad finem perducta sunt (724/30) ab Octaviano Aegypti provinciae modo subactae praefectus est institutus[3]. In quarto autem Georgicon Vergilius inde a v. 281 de invento Aristaei loquitur, qua in arte Aegyptum maxime salutem iacere

---

[1]) Cf. Tittler p. 20 sq.; Peerlkamp p. 306; Glaser p. 191 sq.; Wang p. 13 sq.

[2]) Ribbeck Proleg. 23.; Röm. Dicht. II. 51; Borgius p. 22 not. 4 et p. 25.

[3]) Cf. Suet. Aug. 66; Hieron. ad a. Abr. 1988 et 1990; Dio Cass. 51, 17; Strabo 17, 1, 53.

dicit (v. 294). Hic igitur ansam deprehendi aiunt qua poeta usus sit ut arti illi Aegyptorum subiungeret laudationem eius viri qui tum primus hanc provinciam pro Imperatore regebat Cornelii Galli[1]. Et umbram quidem rationis allatam esse fateor, si quidem sic explicatum est quo modo ab apium cultu ad laudem amici transitum sibi parare Vergilius potuisset. Attamen primum non potest concedi quod Ribbeckius dicit (Proleg. p. 22) simili modo ista laudatione libri quarti poetam finem fecissse atque primi libri, ubi a sideribus ac signis ad Caesaris mortem signis praenuntiatum indeque ad bella civilia commemoranda transgressus est, aut secundi, ubi agricolarum vitam beatam praedicat. Nempe rei publicae statum describere aut vitam laudare rusticam longe alia res est quam unius viri licet familiarissimi gloriam canere. Praeterea minime explanatum est quid tandem Gallus tam praeclare gesserit quod dimidia libri parte Vergilius exornaret in didactico insuper carmine in quo, uti dixi, raro Augustum, rarius Maecenatem compellavit. At Orphei fabula egregie quarti libri argumento accomodata est, nam ubi de apibus reficiendis Vergilius agit (v. 281 sqq.) de inventore huius artis agere num alienum fuit? Immo ultro se obtulit fabula illa qua non solum optime explere librum potuit si forte eum materiam defecisse credis[2], sed etiam conclusionem operi imposuit aptissimam et pulcherrimam qua legentium animos paulisper fortasse languidos reficeret simul et delectaret[3]. Et ut concedam Ribbeckio ad ipsum carminis consilium minus necessariam esse Aristaei fabulam (Proleg. p. 23): an Galli laudes magis necessariae sunt? Quid? an ceterae digressiones quas Vergilius ut exornaret carmen prudenter hic illic inseruit Georgicis necessariae sunt? Mihi quidem, ut omittam iam in prooemio (I. 14 sq.) Aristaei mentionem fieri nec vanam nec propter pascuorum tantum saltuumque curam[4], longe melius

---

[1]) Ribbeck Jahns Jahrb. 1857 p. 75; Proleg. 22; Röm. Dicht. II. 51; Voelker l. l. p. 34 sq.

[2]) Cf. Birt Das antike Buchwesen. 1882 Berl. p. 134.

[3]) Cf. Voss p 838.

[4]) Heyne vol. I. p. 284 ad v. 14.

ad culturam apium quadrare videtur Aristaei fabula qua item de apibus agitur quam hominis cuiusdam nescio quas laudes. De qua re rectissime iudicarunt Heynius (vol. I. p. XCI) qui *„an Serviana ad Ecl. X. 1. Ge. IV. 1 vera sint"* valde dubitat: *„non enim coniectare licet, quomodo Galli laudes in illo argumento locum habere potuerint"* et Vossius (p. 838): *„Es ist kaum denkbar, dass Virgil in einem Bienengedichte den Erfinder Aristaeus, und die . . . Bienenschöpfung, vernachlässigt habe"*[1]). Itaque cum hac quoque ratione fides Servianae narrationis haudquaquam augeatur, ego plane nihil video cur eam nec per se quodam modo probabilem neque ullo alio testimonio comprobatam in fabularum numerum unde orta est repellere cunctemur.

Restat ut de origine eius quaeramus. Quamquam enim omni fide eam carere argumentis satis evicisse mihi videor, tamen quaestionem istam negligendam esse non puto. De qua ego sic sentio. Omnia quae inferioris aetatis grammatici de rebus aliquot saeculis ante factis tradiderunt tum demum nobis accipienda et pro veris habenda esse nemo negat, cum neque ipsa quidquam habent quod credi non possit, et cum eis quae integriores auctores de eisdem rebus memoriae prodiderunt pulchre omni ex parte conveniunt. Quod ubi non fit testimoniis uti non licebit[2]). Quare cum satis demonstratum sit narrationem quae in controversia est et ipsam gravissimis obnoxiam esse dubitationibus neque cum reliquis concinere quae de Georgicon editione testes maiore fide digni tradiderunt et unius insuper Servii auctoritate contineri equidem etiamsi de origine eius vel conici probabiliter nihil posset, nihilo tamen minus confidenter eam ut ineptam aspernandam esse censerem. Numquam enim id nobis maxime agendum est ut exploremus quibus ex erroribus varia grammaticorum commenta, quibus Vergilium maxime obrutum esse notissimum est, manaverint, sed ut accurata inquisitione quoad fieri potest

---

[1]) Cf. etiam Ruaeus ad a. 728; Voelker p. 33; Glaser edit. Georg. 1872 Halle p. 50; Knöpfler De Verg. Georg. 1874 Salzburg p. 22; Thilo p. XXIV.

[2]) Cf. Ladewig Jahns Jahrb. 1856 p. 463.

vera a falsis secernamus. Vera autem narratiuncula Serviana non est. Sed possunt coniecturae quidem — nam certi quidquam in tali re effici vix posse consentaneum est — de origine eius proferri. Opinari licet errorem inde fluxisse quod argumentum Aristaei narrationis re vera a Cornelio Gallo, Aegypti tunc praefecto, cum Vergilio communicatum esse aut constabat aut ferebatur et hanc rem ad posteriores male delatam esse. Vossius rem ita explanare studuit (l. l. p. 828): „*Wahrscheinlicher ist, dass Virgil, als er zur Ehre des Freundes Gallus (v. 315), des jezigen Vorstehers von Aegypten, die ägyptische Kunst zu besingen würdigte, ihr durch diese Erdichtung den Glanz verlieh, welcher den Freund zu verherlichen, und sein Werk anständig zu schliessen erfodert ward.*“ Aliter Glaserus (p. 192 sq.): „*Vielleicht auch war die Aristaeus-Orpheussage ursprünglich eine Arbeit des Gallus selbst.*“ Thilo in Georgicis Gallum celebratum fuisse et nunc quoque tecte celebrari opinatur eo quod Vergilius in amore Orphei et Eurydices canendo carmina illius erotica[1]) imitatus hac imitatione amicissimi poetae gloriae servire voluerit: atque hinc posteriore aetate cum nemo nisi admonitus poetae consilium agnoscere potuisset, attamen traditum esset Galli laudem in altera quarti libri parte inesse, Servii commentum facile nasci potuisse existimat (l. l. p. XXIV. sq.) Et quamquam haec coniectura valde mihi arridet, tamen addere velim quod primum accuratius de hac re cogitanti mihi in mentem venit. Gallum aperte et fuse in Georgicis umquam laudatum fuisse credendum non est; at eclogarum ultima laudationem illius continet: quid igitur si fabula quae apud Servium legimus inde ortum duxit quod nescio quis non nimis gravi videlicet errore ad Georgica transtulit quae de Bucolicis recte dici poterant? Sed has opinationes, quibus fortasse meliores aliae inveniri possunt, commemoravi non quo hanc illamve certam duxerim; immo etiamsi nulla vel paulisper placeret atque fatendum esset de origine fabellae plane nihil nos eruere

[1]) Cf. Serv. ad ecl. X, 1.

posse, tamen non vereor ne quis ob hanc causam fidem ei accrescere, argumentorum quae attuli vim imminui iudicet.

Everso firmissimo secundarum curarum columine alterum quale sit examinemus. In vita Vergilii Serviano commentario praefixa leguntur haec (vol. I. p. 2, 7 Thilo): „*tunc ei* (Vergilio) *proposuit Pollio ut carmen bucolicum scriberet, quod eum constat triennio scripsisse et emendasse. item proposuit Maecenas Georgica, quae scripsit emendavitque septem annis. postea ab Augusto Aeneidem propositam scripsit annis undecim, sed nec emendavit nec edidit.*“ Ad eandem rem spectant verba quae in Suetoniana vita ferebantur (p. 62, 13 not. R.): „*Bucolica Georgicaque emendavit.*“ Sed haec cum in deterioribus tantum codicibus exstent, interpolatori igitur sine dubio debeantur, qui utrum ex ipso Serviano loco an aliunde ea sumpserit nihil refert scire, ex argumentatione nostra removenda sunt. Servii autem verba qui primum legerit haud ita facile alterius Georgicon editionis notionem ibi deprehendet. Quam Schaperus[1]) ita efficere conatus est: Vergilium carmina priusquam emitterentur elimasse nihil erat cur expressis verbis Servius affirmaret, quandoquidem omnes nimirum scriptores, praecipue poetae, opera ante editionem diligenter retractare, perpolire, ad unguem castigare solent: ergo voci emendandi, ad scribendi verbum additae, non usitata, sed alia quaedam notio subesse debet. Atque aliis argumentis, imprimis Serviana de Galli laudibus sublatis narratione, Schaperus eo adductus est ut scribendi verbum ad primam, emendandi ad alteram editionem pertinere ratus Vergilium ipsum et Bucolica — nam haec quoque Vergilium „emendasse“ Servius refert — et Georgica bis in lucem protulisse ex verbis illis Servianae vitae colligeret[2]). Sed totam hanc argumentationem prava vocabuli „emendare“ interpretatione fundatam esse nemo est quin sentiat. Nam Romanum hominem umquam hac voce alteram operis cuiusdam edi-

---

1) Cf. Voss p. 529; Heyne p. CXXV.

2) De Georg. a Verg. em. p. 2; edit. Verg. vol. I. Berl. 1876[6] p. V, 1883[7] p. 5 sq.; Symb. Joach. vol. I. 1880 Berol. p. 4 sq.

tionem significasse aut discrimen ullum intercedere inter retractandi et emendandi notionem Schaperus nullo probare potuit exemplo [1]).

Praeterea ne causa quidem ulla est cur pro trita significatione vocabulo illi novam et plane inauditam obtrudamus. Verum enim non est quod Schaperus dicit emendationis carminum Servium omnino mentionem facturum non fuisse, si nihil aliud monere voluisset nisi Vergilium quoque sicut alios poetas carmina priusquam in vulgus prodirent lima persecutum esse. Immo manifesta causa est, dummodo ne verbis nimis inhaereamus, sed consilii quoque scriptoris vel paullum rationem habeamus. Servius „*Bucolica*, inquit, *constat Vergilium triennio scripsisse et emendasse. item . . . Georgica . . . scripsit emendavitque septem annis postea Aeneidem . . . scripsit annis undecim, sed nec emendavit nec edidit*" et tum de Aeneide loqui pergit quam „emendare" [2]), scilicet ad edendum parare Varium et Tuccam ab Augusto iussos esse refert. Haec qui non nimis obiter legerit facile intelliget Servium id praecipue agere ut una cum ordine et temporibus carminum Vergilianorum legentes certiores reddat quid imperfecto opere post mortem poetae factum sit. Namque de hac re antea non erat locutus, at debebat certe ea commemorari praesertim in vita Aeneidos commentario praemissa. Non potuit autem hoc brevius simul et simplicius efferre quicumque vitam illam conscripsit nisi ita ut servato carminum ordine scriptoris munera quae necessario se excipiunt scribendi, emendandi, edendi distingueret itaque Bucolica et Georgica non solum scripta, sed etiam „emendata", h. e. ad perfectionem perducta, nimirum etiam edita esse narraret. — verbum enim edendi ut consentaneum et ex sententiarum nexu facillime mente supplendum [3]) propter concinnitatem

---

[1]) Tacitei de oratoribus dialogi locum notissimum (cap. 3), ubi de retractanda Materni tragoedia Secundus loquitur, a Schapero perperam in hanc controversiam vocatum esse satis, si qua opus fuit refutatione, Feilchenfeldius (l. l. p. 23) docuit.

[2]) Cf. Donat p. 63, 11 R.: „*qui eius Aeneida . . . emendarunt,*" et p. 64, 7 R.: „*edidit . . . Varius, sed . . . emendata*".

[3]) Cf. Borgius p. 23; v. s. p. 26.

orationis videlicet omisit — Aeneidos vero scribendae quidem, at neque emendandae neque edendae munus Vergilium ipsum praestitisse. Tum de huius poematis editione Servius quae habet narrat, de Bucolicon autem et Georgicon altera editione ne mente quidem cogitavit. Testimonium igitur quod Schaperus ex vita Serviana artificiose efficere studuit, nemine quod videam adstipulante[1]), omnino nullum est.

Porro quod Tittlerus Servii verba „*Aeneidem . . . nec emendavit nec edidit*" transponere aut corrigere iubet propterea quod gradationem non praebeant (l. l. p. 4) non maioris pretii est. Nam Servius, uti dixi, tria scriptoris officia scribendi, emendandi, edendi rite et considerate observavit neque quidquam est quod pro hoc ordine gradationem exspectemus[2]). Caveamus igitur ne verba tradita quae nullam praebent difficultatem aut perversa interpretatione vexemus aut mutatione depravemus. Jam vidimus duorum testimoniorum quibus Georgica ab ipso Vergilio bis evulgata esse demonstrari nonnulli putant alterum esse ineptam fabellam, alterum plane nullum.

Nunc perscrutanda ea quae Georgicon editionem, alteram vel tertiam, post obitum poetae emissam confirmare videantur. Primum ex Donati verbis (p. 64, 5 R.) „*ceterum . . . Vario ac simul Tuccae scripta sua sub ea condicione legavit* (Vergilius), *ne quid ederent quod non a se editum esset.*" Ribbeckius conclusit Varium et Tuccam non solum Aeneida sed etiam Bucolica[3]) et Georgica edidisse (Proleg p. 29). Vergilius enim scripta sua amicis legasse dicitur sub ea condicione „*ne quid ederent quod non a se editum esset*": scripsit Bucolica, Georgica, Aeneida; ipse in lucem protulit Bucolica et Georgica, Aeneida autem „*nec emendavit nec edidit*": ergo cum non nisi inedita, quippe imperfecta carmina, id est Aeneida, publici iuris fieri noluerit, consectarium fit — quid? an Bucolica et Georgica post mortem Vergilii re vera edita esse a

---

[1]) Cf. Ribbeck Jen. Litteraturztg. 1874 p. 316; Przygode p. 59 sq. Feilchenfeld p. 12 sq.; Thilo p. XII. not. 41.

[2]) Cf. Borgius p. 24; Przygode p. 59 sq.

[3]) Sed cf. Ribbeck Röm. Dicht. II. 51; v. s. p. 38 not. 2.

Vario et Tucca? Mihi haec conclusio quamvis Teuffelio (l. l. p. 490) fere probata prava esse videtur. Etenim ex verbis illis si quid sentio nihil aliud colligi possit nisi Vergilium non recusasse quin carmina iam a se edita iterum ederentur. At qui persuadere nobis vult hac venia Varium et Tuccam usos esse, aliis apertis testimoniis hoc demonstrare debet, quae vero nusquam exstare statim apparebit. Sed ne illud quidem quod cum aliqua veritatis specie ex Donati verbis effici posse videatur: Vergilium permisisse certe ut edita carmina denuo emitterent amici, non recte inde colligi concedet quisquis etiam hic non verba tantum, sed consilium quoque scriptoris consideraverit.

Donatus de vita et scriptis Vergilii servato temporum ordine loquitur. Itaque tota poetae vita usque ad diem supremum enarrata et disticho quoque sepulcrali quod ipse sibi fecisse dicebatur laudato de hereditate eius, ut par est, agere instituit. Ac primum de re familiari verba facit (p. 63. 9 R.), tum de carminibus vel potius de eo carmine quod ut imperfectum relictum unice debebat auctori cordi esse quid fieri Vergilius voluerit copiose narrat (p. 63. 9 R.): „*heredes fecit . . . L. Varium et Plotium Tuccam: qui eius Aeneida post obitum iussu Caesaris emendarunt . . . egerat cum Vario priusquam Italia decederet, ut si quid sibi accidisset Aeneida combureret: sed is*[1]) *facturum se pernegarat. igitur in extrema valetudine assidue scrinia desideravit crematurus ipse: verum nemine offerente nihil quidem nominatim de ea cavit, ceterum eidem Vario ac simul Tuccae scripta sua sub ea condicione legavit, ne quid ederent quod non a se editum esset. edidit autem auctore Augusto Varius sed summatim emendata, ut qui versus etiam imperfectos* (Aeneidos videlicet) *sicut erant reliquerit: quos multi mox supplere conati non perinde valuerunt . . . Nisus grammaticus audisse se a senioribus aiebat Varium duorum librorum ordinem commutasse, . . . etiam primi libri correxisse principium.*“ Haec omnia exscribere opus fuit quo plenius perspiceretur toto hoc loco non nisi de Aeneide Donatum

[1]) „ita“ addidit Hagen (Jahns Jahrb. Suppl. IV. p. 739).

disserere. Nam de hac sola Vergilius iter fatale ingressurus cum Vario egerat; haec sola eius maxima cura erat; hanc crematurus desideravit scrinia; hac denique quid fieri vellet amicos heredes edocere debuit et voluit. Atque ea quoque verba in quibus editionis Bucolicon et Georgicon post mortem Vergilii a Vario curatae significationem deprehendi sunt qui existiment ad Aeneida solam spectare cum ex totius narrationis conformatione, tum ex eis quae proxime antecedunt et quae deinceps leguntur dilucide apparet. Verba enim „*nemine (scrinia) offerente nihil quidem nominatim de ea* (scilicet de Aeneide) *cavit*“ et ea quae sequuntur: „*edidit autem auctore Augusto Varius, sed summatim emendata*“ e. q. s. non nisi ad Aeneida referenda esse manifestum est. Ergo etiam verba quae media interposita sunt: „*ceterum eidem Vario ac simul Tuccae scripta sua sub ea condicione legavit ne quid ederent quod non a se editum esset*“ de hoc carmine solo, non de Bucolicis aut Georgicis, de quibus nihil erat quod moribundus poeta caveret, intelligenda sunt. Praeterea animum velim advertas in sequenti quoque narratione Donatum de Aeneidos quidem editione a Vario, invito auctore, iubente Caesare, curata diserte verba facere, eclogarum vero aut Georgicon alteram recensionem neque hoc neque ullo alio vitae loco vel uno verbo commemorare. Attamen fieri non potuit quin una cum epici poematis ceterorum quoque carminum editionem post a. 735/19 emissam apertius significaret, si ulla ad eum memoria huius rei pervenisset. Quare verba de quibus agitur, si totius loci tenorem et sententiarum connexum mecum reputo, ita intelligenda esse censeo: „Ceterum nemine scrinia ei offerente crematuro Aeneida nihil quidem de ea nominatim cavit, sed satis habuit vetare amicos ne carmen imperfectum in volgus emitterent; reliquis autem scriptis quae iam ipse edidisset, facerent quid vellent.“ Sic melius consilium Donati, immo Vergilii perspexisse mihi videor quam qui in verbis plus iusto haerens Georgicon, nec non Bucolicon (v. s. p. 45 not. 3) novam editionem indicari arbitratur. Neque enim Vergilius cum verba illa ederet neque Suetonius cum ea referret de alio carmine atque de Aeneide cogitarunt.

Restat retractationis Georgicon documentum quartum. In scholiis enim Vergilianis de versibus vocibusque singulis ab ipso poeta emendatis passim leguntur haec:

ad I. 6 (p. 131, 1 Thilo): „*Lumina: „numina" fuit, sed emendavit ipse quia postea* (v. 10) *ait: „et vos agrestum praesentia numina fauni";*

ad I. 12 (p. 133, 11 Thilo): „*Cui prima f. f. e. m. t. p. t.: antiquissimi libri „fudit aquam' plerique habuerunt, quoniam Neptunus fluminibus et fontibus et aquis omnibus praeest, ut ipse docet* (IV. 29): *„aut praeceps Neptuno inmerserit eurus"; sed melius „equum" propter armenta. in Corn. „equm". in authentico „aquam", ipsius manu „equm";*[1])

ad I. 64 (p. 146, 26 Thilo): „*Extemplo induxit et reposuit";*

ad I. 66 (p. 148, 29 Thilo): „*Pulverulenta c. m. s. a.: . . . ipsius manu adiectum „maturis solibus":*

ad I. 67 (p. 149, 12 Thilo): „ . . . *[ipsius] manu adiecti sunt deletis duobus, quorum [alter totus legi] potuit: „ipsis officiant segetes ne frugibus illic";*[2]) *ex altero hoc tantum: „ne deserat umor harenam";*[3])

ad II. 333 (p. 247, 23 Thilo): „ . . . *Celsus ait „germina"* (v. 332) *reliquisse Vergilium: loquitur enim de omnium arborum fetu: unde male quidam „gramina" legunt";*

ad II. 344 (p. 249, 1 Thilo): „*Si non tanta quies iret frigusque caloremque inter": id est intervenirét. fuit autem prior lectio „frigusque calorque", ut Plautus* (Merc. V. 2, 19) *„neque frigus neque calor metuo neque ventum neque grandinem": aliter hypermetrus versus erit:"*

ad IV. 112 (p. 328, 14 Thilo): „*legitur et „tinos".*

ad IV. 141 (p. 331, 3 Thilo): „*Ipsius . . . manu duplex fuit scriptura „pinus" et „tinus";*

---

[1]) Verba „*in Corn. equm*" usque ad „*ipsius manu equm*" Petrus Daniel huc transposuit; in codice post adnotationem ad v. 14 (p. 135, 2 Thilo) leguntur.

[2]) Non accurate Ribbeckius in edit. mai. vol. I. adnot. crit. haec verba sic exhibet: „*illic officiant segetes ne frugibus illis*".

[3]) Verba uncis inclusa in libro evanuerunt, sed nec de sensu nec de restituenda lectione ambigi potest: cf. Thilo edit. Vergil. p. XXVI. not. 7.

ad IV. 231 (p. 338, 26 Thilo): „*flores*“ *emendatum fuit. et bene „gravidos flores*“, *quod ex his omnia generant.*“

Hae commentatorum notae Ribbeckio certa secundarum curarum vestigia videntur esse (Proleg. p. 24 sqq.; Lect. Verg. p. 2 sq.). Longe aliter de eis Ladevicus iudicavit (l. l. p. 464 sq.). Tum de singulis Schaperus, qui tamen minus commode haec veterum testimonia una cum recentiorum conaminibus tractavit, ita disputavit ut de auctore magis quam de ipsis emendationibus quaereret (l. l. p. 9 sqq.). Accuratius quidem deinde Borgius de eis disseruit et in summa re mea quidem sententia verissime iudicavit (l. l. p. 30 sqq.); sed ipse quoque non tam fidem ipsorum testimoniorum quam auctoritatem qua nituntur evertere studuit. Itaque vix mirabar quod Thilo nuper operam dedit ut non omnia esse abicienda evinceret (l. l. p. XXV. sq.).

Primum velim teneas quod iam supra tetigi (v. p. 31 sq.) in his adnotationibus, si verba ipsa spectamus, nihil inveniri unde cognosci possit utrum ad alteram editionem a. 728/26 a Vergilio ipso emissam an ad tertiam a. 735/19 post mortem poetae a Vario curatam referendae sint. Atqui nihil interest hoc scire, si modo continget ut eas non solum ad retractationem comprobandam, sed ne ad Vergilium quidem pertinere demonstretur.

Primaria autem, priusquam singula perscrutamur, de auctoris fide quastio est. Decem quas attuli adnotationum priores quinque in Serviano commentario exstant (ad I. 6; 13; 64; 66; 67.), ceterae quinque (ad II. 333; 344; IV. 112; 141; 281.) in scholiis quae Philargyrii nomine ferebantur. De his quomodo res se habeat paucis referre iuvat[1]. Fulvius Ursinus in codice nunc Vaticano 3317 quem littera V notare solent repperit scholia Serviano commentario plerumque formula „et aliter“ subiuncta quae separatim in lucem protulit (Romae 1587) ita ut nonnulla quae Servianis expositionibus non simpliciter adscripta, sed artiore quodam vinculo cum textu copulata erant omitteret et ea quae edidit, quamquam ut ipse in epistola praemissa fatetur „*nullius interpositi auctoris*

---

[1]) Cf. Thilo edit. Serv vol. III. praef. p. XI. sqq.

nomine discreta" erant, sive Angeli Politiani opinatione ductus sive, quod probabilius Thilo (l. l. p. XII.) reddidit, errore, Junio Philargyrio vindicaret, cuius nomine „explanatio in bucolica" ad nos pervenit et cui etiam Bernensium scholiorum bona pars deberi videtur[1]). Inde Vaticana additamenta Philargyrii nomen quamvis nullo iure praefixum ferebant et separatim vulgabantur, donec novissimus et accuratissimus editor ab hac consuetudine recedens et codicis potius auctoritatem secutus quam Ursini aut errorem aut libidinem merito omnia quae Vaticani propria sunt una cum Servianis[2]) edidit (l. l. p. XVII.). Fuerunt igitur illa scholia Philargyrii, atque omnia additamenta quibus commentarius Servii auctus est nunc in uno eodemque volumine continua leguntur.

Jam redeamus in viam et quaeramus cui tandem adnotationes illae de prioribus lectionibus debeantur. Hic quam maxime attendendum est nullam earum in Servii breviore commentario occurrere, sed omnes partim in Vaticanis partim in Lemovicensibus scholiis legi. Unde apparet hanc quaestionem artissime cohaerere cum graviore illa, quaenam ratio intercedat inter commentarium Servianum breviorem usque ad Danielis editionem (a. 1600) — vel si Ursini quoque libelli rationem habemus usque ad a. 1587 — vulgatum et pleniorem quem primi editoris nomine Danielinum vocant, h. e. utrum hic an ille an neuter ex Servii Donati discipuli officina prodierit? Sed de hac re doctissimi viri ut olim dissentiebant ita nunc in partes contrarias discedunt. Alii[3]) ex deperdito genuino commentario Servii et breviorem et ampliorem excerptum esse

---

[1]) Cf. subscriptio eclogarum vel inscriptio Georgicon (Mommsen Rhein. Mus. XVI. p. 446 not.): „Haec omnia de commentariis Romanorum congregavi, id est Titi Galli et Gaudentii et maxime Junilii Flagrii (h. e. Junii Philargyrii) Mediolanensis"; cf. Hagen l. l. p. 839.

[2]) In hac re unum displicet quod et haec scholia Vaticana et interpretamenta Danielina inclinatis litteris a vulgato Servio seiunxit, quamquam diversa illorum origo apertius fuit significanda.

[3]) Scaliger ad Varron. de re rust. (1573 Steph.) l. III. p. 273; Mommsen Rhein. Mus. XVI. 448; Ribbeck Append. Verg. XI. sqq.; Proleg. 104 sqq., 124, 189.

credunt. Contra ipse Petrus Daniel aliique non nulli censuerunt et nuper Georgius Thilo[1]) accuratissima inquisitione comprobare studuit vulgata scholia quibus etiam in libris manu scriptis Servii nomen et praefixum et subscriptum est — cum ei codices qui amplificatum commentarium continent nullius antiqui interpretis nomen ferunt — re vera plena et genuina esse, Danielina autem et Vaticana additamenta partim vilia partim summi pretii a diversis auctoribus conscripta esse et interpolata. In aperto igitur est adnotationes de quibus nobis res est ne Servii quidem auctoritate defendi, sed nescio quibus grammaticis deberi, si Thilonis sententia vera est. Et quamquam equidem non dubito quin ea in dies magis alteram superatura sit, tamen hanc controversiam, quamvis eam Thilonis ope paene diiudicatam esse dixerim, in medio relinquere necesse est et ad singula testimonia examinanda aggredi.

Quae retractationis Georgicon vestigia non esse vel eo satis evincitur quod, licet omnia vera sint, tamen prorsus nihil habent unde ad editas lectiones emendatas ea referenda esse necessario concludatur. Sed ne in schedis quidem Vergilianis, unde nonnullas depromptas esse existimant, vel unam „priorum“ lectionum exstitisse nunc quoad potero demonstrabo.

Ad l. I. v. 6 interpres Danielinus scribit haec: „*Lumina*“: „*numina*“ *fuit, sed emendavit ipse quia postea* (v. 10) *ait: „et vos agr. praes. numina fauni*“. Haec verba ipsa docent eum quicumque illa adnotavit non referre voluisse alteram lectionem pro altera post editionem Georgicon substitutam esse, sed Vergilium antequam carmen emitteret „*numina*“ quod primo impetu scripserat in „*lumina*“ mutasse ne idem vocabulum in paucis versibus bis occurrens taedium moveret. Sed „prior“ scriptura „*clarissima mundi numina*“ a Vergilio omnino non est profecta. Primum enim non potest credi poetam non statim sensisse, sed ratiocinatione demum aut necessitate quadem eo esse adductum ut Solem et Lunam (v. 5 sq.) longe aptius et

---

[1]) In edit. Serv. vol. I. fasc. 2 praef.; cf. etiam Rhein. Mus. XIV. p. 535 sqq.; XV. p. 119 sqq.

pulchrius „*lumina*“ quam „*numina mundi*“ appellari intelligeret. Tum, quod gravius est, num recte omnino dici potuerit „*clarissima mundi numina*“ equidem propriam vocabulorum vim considerans vehementer dubito. „*Numen*, inquit Varro (L. Lat. VII. 85), *dicunt esse imperium dictum ab nutu: numina sunt quoius imperium maximum esse videatur.*“ Et cum hac Varronis explicatione egregie concinunt exempla Vergiliana quae conferre summum et satis est. Numina Vergilio dicuntur „*sancta*“ (Aen. III. 543), „*magna*“ (Aen. III. 264. 633, 697; VII. 310 sq.), „*praesentia*“ (Georg I. 10), „*laeva*“ (Georg IV. 7), „*inimica*“ (Aen. II. 622 sq.), „*saeva*“ (Aen. XI. 901), quippe quae precibus adeantur (Georg IV. 505; Aen III. 634: IV. 611 sq.) ut propitia pios respectent (Aen I. 603). Numquam autem ea „*clarissima*“ vel simili vocabulo appellata esse video neque hoc casu factum esse crediderim, sed ideo quod hoc adiectivum nomini illi parum convenit. At Solem et Lunam qui „*clarissima mundi lumina*“ nominat et pulchre loquitur et Latine utriusque vocabuli propria notione accurate observata. Et hoc Vergilium non statim vidisse quis potest sibi persuadere? Postremo si poeta Solem et Lunam nominatim adloqui non putavit opus esse, cum verbis insequentibus: „*labentem caelo quae ducitis annum*“ (v. 6) satis sibi videretur declarasse quosnam significare deos vellet — quamquam ne id quidem hos versus a perversa interpretatione defendit — tamen apertius „*lumina*“ eos dicere debuit quam „*numina*“ quod ad unumquemque deum sine discrimine quadrat. Haec omnia qui mente pensitaverit credere non poterit vel in schedis suis, nedum in edito carmine Vergilium primum scripsisse „*numina*“. Quomodo autem commentum illud de „priore“ lectione a Vergilio ipso emendata ortum sit non difficile explicatur. Grammaticus nescio quis in codice qui ipsius Vergilii manu scriptus aut correctus esse dicebatur — nam re vera bibliopolas fraudulentos emptoribus credulis libros vetustate forsitan insignes pro authenticis magni nimirum pretii venditasse ex Gellii l. II. c. 3 discimus, qui Fidium quendam Optatum sibi ostendisse refert librum Aeneidos qui ipsius Vergilii fuisse

credebatur[1]) — vidit genuinam lectionem ‚*lumina*' correctam esse e priore ‚*numina*'; hanc igitur etsi ineptam non dubitavit Vergilio vindicare, quandoquidem omnes quas in exemplari suo deprehendit correctiones ipsius poetae manum priorem prodere aut credidit ipse aut alios credere voluit. Scriptura autem haud dubie depravata ‚*numina*' utrum negligentia an coniectura inlata fuerit vix potest certo diiudicari. Sed quamquam facili errore librarius non nimis attentus ‚*numina*' pro ‚*lumina*' exarare potuit[2]), tamen si reputamus v. 5 sq. et in Probi commentario (p. 26, 14 Keil) et in scholiis Bernensibus (p. 844 Hagen Jahns Jahrb. Suppl. IV) ad Liberum et Cererem qui in proximis (v. 6 sqq.) invocantur referri atque in eundem errorem vel Ruaeum (l. l. p. 88) incidisse — nec sine aliqua Vergilii culpa, cum structura versuum 5 sqq. ἀσυνδέτως continuatorum duri aliquid habere videatur — non inepte possumus opinari lectionem quae huic interpretationi multo melius convenit ‚*numina*' coniectura invectam, tum rursus expulsam esse. Sed haec utut sunt, certe in eo codice ex quo interpres ille sua deprompsit non Vergilius quae scripserat emendarat, sed pro corrupta lectione genuinam restituerat vel ipse librarius vel is qui correctoris munere functus erat.

Ad I 12 sq. in codice Lemovicensi adnotantur haec: „*Cui prima f. f. e. m. t. p. t.: antiquissimi libri ‚fudit aquam' plerique habuerunt, quoniam Neptunus fluminibus et fontibus et aquis omnibus praeest, ut ipse docet (IV. 29): ‚aut praeceps Neptuno inmerserit eurus'; sed melius ‚equum' propter armenta. in Corn. ‚equm', in authentico ‚aquam', ipsus manu ‚equm'*". Lectionem autem antiquissimorum atque adeo „authentici" libri absurdam et ne scriptam quidem a Vergilio esse facillime perspicitur. In prooemio enim Georgicon Sol et Luna (5 sq.), Liber et Ceres (7 sqq.), Fauni Dryadesque (10 sqq.), Neptunus (12 sqq.), Aristaeus (14 sq.), Pan

[1]) De hac narratione conferas sis quid Birtius (l. l. p. 45 n. 1) iudicaverit. Neque qui de Aeneide lucri causa talia ementiebantur puto religione quadam impeditos esse quominus de Georgicis eadem fingerent.

[2]) Idem bis occurrit in Catulli carm. 66 (v. 7 et 59).

(16 sqq.), Minerva (18 sq.), Triptolemus (19), Silvanus (20), *,dique deaeque omnes studium quibus arva tueri'* (v. 21) implorantur ut poetae adsint munera ipsorum carmine praedicaturo (v. 12). Itaque v. 12 sqq. necesse est munus Neptuni significari, quod quidem ad rem propositam pertineat. Jam qui reputaverit Georgicon argumentum non quattuor tantum primis versibus, sed toto exordio (v. 1—23) adumbrari et qui meminerit nusquam in hoc carmine aquam, at equum profecto celebrari (l. III), vix poterit dubitare quin poeta cum v. 12 sqq. conderet de aqua omnino non cogitaverit. Quod quo magis pateat id quoque attendas quod statim post Neptunum Vergilius Aristaeum nemorum iuvencorumque cultorem (v. 14 sq.) et Pana ovium custodem (v. 16 sqq.) adlocutus est. Neque enim temere eum tres illos deos quibus greges equorum, iuvencorum, ovium curae sunt: Neptunum, Aristaeum, Pana iuxta posuisse puto. Itaque non modo a consilio prooemii et totius carminis, quo aquam Vergilius nec celebravit nec celebraturus erat, sed etiam a sententiarum conformatione abhorret aquae in v. 13 commemoratio. Quod bene is perspexit grammaticus qui addidit: *„melius ‚equum' propter armenta"*. Quae cum ita sint vix quisquam, ut opinor, sibi persuadebit Vergilium in suo exemplari — nam de editione altera ne cogitari quidem posse liquet — scripsisse *‚fudit aquam'* et tum demum invenisse et reposuisse *‚equum'*, sed scripturam antiquissimorum et „authentici" libri certum est librario deberi qui vel socordia *‚aquam'* pro *‚equum'* exaravit vel in errorem seductus est et ultro traditam lectionem mutavit male reminiscens fabulae de Neptuno aquam e saxo eliciente[1]).

Pauca addam de verbis ipsis quae in codice leguntur. Hoc enim loco non ut priore de lectione priore et emendata scholiasta loquitur, sed de variis variorum librorum scripturis. Ac verba *„antiquissimi libri ‚fudit aquam' plerique habuerunt"* usque ad *„in Corn. ‚equm'"*, i. e. „in Corneliano exemplari

---

[1]) Cf. Serv. vol III. p. 134, 15 Thilo; Probus p. 29, 16 Keil; — Voss p. 52 sq.

‚equm'"[1]) non praebent difficultatem. At quae sequuntur: „*in authentico ‚aquam', ipsius manu ‚equm'*" quomodo intelligenda sint viri docti dissentiunt. Opinionem Ribbeckii qui „authenticum exemplar" ab ipso poeta prius editum, „ipsius manum" eam intellexisse scholiastam Lemovicensem statuit quae alteram carminum recensionem passim adgressa sit (Proleg. p. 29), recte refutavit Borgius (p. 36) cum diceret commentatorem, si haec referre voluisset, rem aliter enarraturum fuisse. Praeterea credi nullo modo potest in editis Georgicis exstitisse lectionem ineptam quam „authenticum" exemplar habuisse fertur. Sed etiam Borgius frustra, ut mea quidem fert opinio, operam dedit, quamvis adstipulante Schapero (p. 39), ut discrimen quoddam indagaret inter „authenticum" exemplar et librum „ipsius manu" scriptum. Viam autem explicandae difficultatis Thilo videtur aperuisse qui verba „*in Corn. ‚equm', in authentico ‚aquam', ipsius manu ‚equm'*" ab alio homine antecedentibus adscripta esse censet (edit. Verg. praef. p. XXVI. sq.). Sed fortasse haec ipsa verba non unius, sed plurium sunt auctorum quorum alius ad ea quae iam scripta erant: „*antiquissimi libri ‚fudit aquam' plerique habuerunt*" e. q. s. adnotavit Cornelii Celsi exemplaris vel recensionis lectionem[2]), alius „authentici" quem quidem putavit libri, tertius authenticioris ut ita dicam codicis „ipsius manu" scripti lectionem addidit, quamquam neque hic neque ille umquam librum vere authenticum in manibus habuerat. Sed de hac coniectura quomodocunque iudicatur, Vergilius haud dubie ‚*fudit equum*' et scripsit et edidit, ‚*aquam*' depravata et inepta librarii scriptura est.

Ad I 64: „‚*Extemplo' induxit et reposuit*". Hoc loco cum mutatae lectionis mentio omnino non fieret iure Ribbeckius ad retractationis suspicionem comprobandam usus non est. Sed Thiloni cum alia tum hoc testimonium nisi de exemplari poetae ipsius manu emendatae dici non potuisse videtur (l. l. p. XXVI). Verba ipsa non video qui intelli-

---

1) Cf. Ribbeck Proleg. 25 sqq.; Thilo p. XXV. not. 6.

2) Cf. Serv. Vat. ad Georg. II. 333; v. i. p. 58.

genda sint nisi ut statuamus commentatorem testari voluisse ‚*exemplo*' a Vergilio nescio qua de causa oblitum tum rursus in textum repositum esse. Ac si quis credit scholiastam huius emendationis notitiam ex ipsius Vergilii tabulis hausisse, fateor me argumentis necessariis eum revincere non posse. Sed quoniam secundarum curarum indicium, scilicet editi carminis mutationem hoc loco deprehendi nemo sanus contenderit, quaestione unde interpres Vergilianus ista deprompserit in ambiguo relicta ad alia progrediamur testimonia; mox tamen ad illam redeundi copia dabitur.

Ad I 66: „*Ipsius manu adiectum ‚maturis solibus'*". Traditur igitur verba ‚*maturis solibus*' a Vergilio „adiecta", ergo antea omissa fuisse. Atqui in edito carmine versus mancus non potuit exstare. Itaque statuendum est aut lacunam in exemplari suo a poeta seu casu seu consulto, donec quid invenisset quo versum resarciret, relictam illis verbis a Vergilio ipso expletam esse, aut grammaticum cum in codice suo verba ‚*maturis solibus*' a librario negligenti omissa in marginem vel in textu supra lineam addita videret, hanc correctionem poetae ipsi imputasse. Quarum explicationum neutra quidem certis argumentis potest confirmari et Thiloni illa magis placere videtur (l. l. p. XXVI.), ego autem, si reliqua huius generis testimonia respicio, alteram priori longe praestare arbitror. Sed de hac re statim agendum erit. Ribbeckius haud dubie falso codicem Romanum qui ‚*frugibus*' pro ‚*solibus*' (M P) exhibet servasse dicit „priorem" lectionem (Prol. p. 30). Neque enim scholiasta refert ‚*maturis frugibus*' fuisse priorem lectionem, neque si hoc tradidisset dubitari iure posset quin verba sensu carentia ‚*glebasque iacentis pulverulenta coquat maturis frugibus aestas*' librarii culpa miserrime depravata essent. Alio igitur mendo is codex quo interpres Lemovicensis usus est, alio codex Romanus aspersus est [1]).

---

[1]) Vitium in codice Romano utrum mero errore an simili eclogae tertiae v. 80 exitu: ‚*maturis frugibus imbres*' ortum sit nec potest erui nec refert scire.

Ad I 67: „*[Ipsius] manu adiecti sunt deletis duobus, quorum [alter totus legi] potuit: ‚ipsis officiant segetes ne frugibus illic‘: ex altero hoc tantum: ‚ne deserat umor harenam‘*“ [1]). Egregium hoc occurrit exemplum unde quantum haec scholiastarum testimonia omnia valeant cognoscere possis. Manifestum enim est in exemplari grammatici qui illa adnotavit hoc loco pro duobus versibus quadam ratione deletis eos exstitisse quos nostri quoque codices habent v. 69 sq. [2]). Alterum autem versum qui quamvis deletus totus legi potuit scribae culpa foedissime inquinatum esse liquet, atque in alterius quoque parte priore quae in codice evanuerat — posterior enim pars nihil habet vitiosi — aliquid peccatum fuisse videtur, quoniam, si totus versus integer fuisset, deletus non esset. Thiloni autem qui, ut evinceret in priore versu nihil esse quod non videretur a Vergilio scribi potuisse (p. XXVI), poetam contendit ‚*segetes*‘ ibi herbarum luxuriem esse voluisse non vereor ne quis adstipuletur. Nam haec notio voci illi subesse non potest; in versu enim libri primi Georgicon (112): ‚*luxuriem segetum tenera depascit in herba*‘, quem ille attulit exemplum, verba ‚*luxuriem segetum*‘ minime significant herbarum noxiarum [3]) abundantiam, sed proprie luxuriantes, surgentes, exultantes segetes. Itaque cum ex versu illo sublato sensus elici non possit concedatur oportet interpretem Lemovicensem correctionem quam in libro suo invenerat perperam Vergilio inculcasse, nimirum quia eum ipsius poetae manu scriptum aut emendatum esse credidit. Et hoc quidem uno loco ne Ribbeckius quidem potuit infitias ire commentatorem „*corrupta exemplaris sui scriptura falli potuisse*“ (Proleg. 30) [4]). Profecto ita res se habet, at non solum hoc uno loco, sed aliis quoque omnibus qui prorsus eiusdem generis sunt.

---

1) De tradita lectione v. s. p. 48 not. 2 et 3.

2) Nimium Borgius (p. 35) in eo haesitavit quod in codice hoc scholion ad v. 67, non ad quem videlicet pertinet 69 adscriptum est.

3) Cf. v. 69: ‚. . . *officiant* . . . *ne frugibus*‘.

4) Cf. etiam Peerlkamp Mnem. X. (1861) p. 119 sq.

Sed nunc priusquam longius progrediamur, videamus quam probabiliter Thilo statuerit ea quae in scholiis Danielinis de emendatis versibus l. I. 64 et 66 leguntur — nam de tertio loco (I. 69 sq.) eum non recte iudicasse modo studui demonstrare — non potuisse dici „*nisi de exemplari ipsius poetae manu emendato*“ (l. l. XXVI.) In hac enim re non quid certum, sed quid probabile sit quaerendum. Cum autem nemo sanus crediderit Vergilium exemplaria publice vendidata sua manu correxisse, apparet non nisi de schedis vel de „authentico“ codice Vergilii rem esse. Jam vero mihi plane incredibile videtur ea quae poeta ibi temptasset publici iuris umquam facta esse. Et si forte sunt qui schedas Vergilianas grammaticos inspexisse persuadere sibi possunt, num probabile est eos nihil inde nisi quisquilias istas (ad I. 64 et 66) delibasse atque has per tot saecula propagatas esse? Ac si omnibus ceteris huius modi testimoniis scholiastas correctiones librorum suorum inepte Vergilio vindicasse demonstratum erit, duobus illis eo maiore nimirum confidentia derogare fidem licebit. Denique ei qui secum reputaverit decem quae in scholiis commemorantur emendationum tres ad sex septem versus continuos (64—69 sq.) pertinere, ultro suspicio se offert eum codicem ex quo commentator tamquam ex authentico sua deprompsit hoc ipso loco (v 64 sqq.) multis et gravibus vitiis librarii culpa immaculatum fuisse — Ceterum haec quae contra Thilonis opinionem disputavi velim teneas ad alteram Georgicon recensionem omnino non pertinere.

Jam veniamus ad ea testimonia quae in Vaticano libro exstant:

Verba quae ad l. II. v. 333 ibi adnotata sunt: „*Celsus ait ‚germina‘* (332) *reliquisse Vergilium; . . . unde male quidam ‚gramina‘ legunt*“ ad nostram rem nihil faciunt. Nam non alteram lectionem esse „priorem“, alteram „emendatam“ scholiasta refert, sed poetam ait scripsisse *‚germina‘*, *‚gramina‘*, autem in codices nonnullos „male“ inlatum esse. De vera igitur scriptura neque ipse scholiasta dubitavit neque editores nunc dubitant qui quamvis codices nostri meliores in corrupta lectione

‚gramina' conspirent[1]) omnes quantum video ‚*germina*' iure restituerunt[2]).

Ad II. 344: „‚*Si non tanta quies iret frigusque caloremque inter' id est intervenirel. fuit autem prior lectio ‚frigusque calorque*', *ut Plautus* (Merc. V. 2, 19; v. 860) ‚*neque frigus neque calor metuo neque ventum neque grandinem': aliter hypermetrus versus erit*".

Vergilium igitur ‚*calor*' pro ‚*calorem*' scripsisse interpres Vaticanus refert et Plautino exemplo illustrat. Verum tamen hic quoque non difficile demonstratur eum librarii correctionem temere Vergilio tribuisse. Nam etiamsi de Plautino versu recte ille iudicasset, tamen hoc uno exemplo vix satis probatum esset Vergilium formam accusativi vocis „calor" genere neutro pro masculino usurpasse. Plautus enim cum aetate tum metri necessitate quodam modo excusatur, Vergilius autem plane nullam habuit causam cur formam inauditam admitteret, quoniam versus hypermetri qui reposita forma ‚*calorem*' evadit in carminibus Vergilianis multi occurrunt[3]). At si illam in textum ponere atque Ribbeckium si audimus etiam edere conatus est, quid tum eum movisse credamus ut secundis curis usitatam quam antea ultro spreverat inferret? Sed ne in his diutius moremur: testimonii illius fides nimirum una cum Plautino exemplo corruit. In versu autem illo (Merc. 860): ‚*nec calor nec frigus metuo neque ventum neque grandinem*' verba ‚*nec calor nec frigus*' non cum metuendi verbo, sed cum versu antecedente ita coniungenda esse: ‚*neque mihi ulla opsistet amnis nec mons neque adeo mare nec calor nec frigus: metuo neque ventum neque grandinem*' rectissime iam

---

[1]) Palatinus ‚*gramine*' exhibet.

[2]) Cf. Voss p. 387.

[3]) Cf. Georg. I. 295; II. 443; III. 242; 377; Aen. I. 332; 448; II. 745; IV 558. etc. — Propter verba „*aliter hypermetrus versus erit*" iniuria Borgius (p. 33), Schaperum fortasse secutus (p. 36), scholiastam reprehendit. Minime enim ex verbis istis patet, ut ille ait, „*Philargyrium a poeta hypermetros versus vitatos esse existimasse*", sed hic ni fallor monere tantum voluit recepta lectione ‚*caloremque*' effici versum hypermetrum. Borgius vim futuri temporis („*aliter . . . erit*") nimis neglexit.

olim viri Plautini perspexerunt[1], quamquam concedendum est positu verborum facile in errorem incidere posse obiter versus illos legentem. Itaque cum *‚frigus'* et *‚calor'* apud Plautum non quarti sed primi casus formae sint neque ullo alio exemplo comprobari possit Romanum scriptorem umquam tantopere a solita dictione recedere ausum esse ut, praeter necessitatem insuper, „calor" pro „calorem" diceret, commentatorem de Vergiliana scriptura eo minus credemus verum tradidisse quod etiam hoc loco luce est clarius narrationem ortam esse librarii incuria, qui cum pro genuina ac tradita lectione *‚caloremque'* seductus videlicet insolentiore versus hypermetri forma *‚calorque'* scripsisset, non versu quidem sed Latino sermone quam maxime repugnante, tum vel ipse vel alius instauraverat veram scripturam. Hanc correctionem ad Vergilium auctorem ab interprete vetere referri mirum nos non habebit qui idem non minus inepte fieri iam aliis locis vidimus. Neque vero ab hoc iudicio ob eam causam recedemus[2]) quod in uno codice Palatino — Mediceus et Romanus *‚caloremque'* habent — *‚calorque'* exaratum est: sed multo rectius hunc librum eadem qua scholiastae Vaticani exemplar macula inquinatum esse iudicabimus (v. i. p. 61 et p. 63 not. 3).

Duo testimonia quae sequuntur ad eandem rem spectant. Adnotantur enim ad l. IV. v. 112: „*(‚pinosque ferens'): legitur et ‚tinos'*:" et ad IV. 141: „*ipsius . . . manu duplex fuit scriptura ‚pinus' et ‚tinus'*". Altero quidem loco commentator de duplici „ipsius manu" scriptura loquitur, utra autem „prior", utra „emendata" fuerit non dicit. Sed potest etiam hic certo demonstrari alteram lectionem unice veram, alteram esse corruptam. Primum si Vergilio et „tinus" et „pinus" — quae verba non solum litteris similia sunt, sed sensu quoque propinqua, ita ut a librario facillime confundi potuerint[3]) — sine magno notionis discrimine adhibere licuit,

[1]) Cf. Ritschelii edit. (1854 Elberfeld.) p. 105 adn. crit. — Cf. Non. p. 200, 3

[2]) Cf. Ribbeck Proleg. 30.

[3]) Sic in Ovidii Met. X. v. 98 in optimis libris *‚pinus'* exaratum est (in aliis *‚ficus'*): scribendum autem esse de Heinsii coniectura *‚tinus'*

vix potest causa inveniri cur poeta secundis curis mutandum duxerit quod primum posuerat. Sed quoniam in carminibus Vergilianis saepissime „pinus“, nusquam vero „tinus“ occurrere videmus nisi his de quibus res est locis duobus — vel potius uno loco, cum altero (IV. 112) de discrepantia tantum librorum verba fiant — vel hinc iure colligitur ‚*tinus*‘ librarii errore ortum esse. Porro cum et v. 112 et 141 (cf. 139 sq.) ad apium culturam pertineat et cum inter arbores quae circum apiaria frequentes esse debeant Columella duobus locis pinum semper virentem (IX. 4, 2 et 5, 6), nusquam vero tinum commemoret, nemini profecto dubium esse potest quin etiam Vergilius cum thymo (IV. 112; cf. Colum. IX. 4, 2) aut cum tilia (IV. 141; cf. Colum. IX. 4, 3) pinum, non tinum circum tecta apium serere iusserit. Denique ex eclogae septimae v. 65: ‚*fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis*‘ apparet Vergilium etiam ibi ubi hortum Corycii illius senis describit (v. 127) pinum significare voluisse. Quibus de causis multo propius a vero abesse crediderim eum qui libri Vergiliani correctionem — nam ‚*tinus*‘ correctum fuisse in ‚*pinus*‘ verba „*duplex fuit scriptura*“ indicant — a scholiasta falso Vergilio ipsi vindicatam esse censet quam qui additamentum illud Vaticanum e tabulis poetae aut e libro ipsius manu emendato fluxisse existimat[1]).

Codices nostri altero loco ‚*pinus*‘ exhibent omnes, priore autem (IV. 112) in schedis Vaticanis et in Mediceo ‚*pinos*‘, in Palatino falso ‚*tinos*‘ exaratum est.

Ad IV. 231: „‚*flores*‘ *emendatum fuit. et bene ‚gravidos flores‘, quod ex his omnia generant.*“ Ex eo quod scholiasta dicit *fuisse emendatum* ‚*flores*‘ colligendum esse puto in exemplari eius exstitisse tres lectiones: primam ‚*fetus*‘, alteram e priore correctam ‚*flores*‘, tertiam restitutam priorem ‚*fetus*‘.[2]) Certissimum autem est eum de correctionibus unius

---

verba apposita: ‚*bacis caerula*‘ (cf. Plin. Nat. hist. XV. 39, 1) ad pinum non quadrantia docent.

[1]) Velut Thilo p. XXVI.

[2]) Cf. Thilo p XXVI.

quem ipse in manibus habuit codicis loqui itaque de scriptura a Vergilio post edita Georgica mutata perperam cogitari. Unum hoc quaeritur emendatio vel emendationes utrum poetae in schedis varia temptantis an librariorum esse videantur. De sensu prioris lectionis: ‚*gravidos cogunt fetus*' ambigi non potest. Significant enim haec verba: „gravidas colligunt[1]) vel stipant[2]) fruges." Sed in dictione estne quod displiceat?[3]) Primum offensioni non est poetam ‚*fetus*' de melle, non de prole apium posuisse. Nam ‚fetus' generali notione de quocumque proventu dici posse verissime Heynius monuit (l. l. p. 632), velut in l. II. v. 390: ‚*hinc omnis largo pubescit vinea fetu*': I. 82: ‚*mutatis requiescunt fetibus arva*': I. 55: ‚*arborei fetus*'; I. 195: ‚*grandior ut fetus siliquis fallacibus esset.*' Neque male nos habere debet quod ‚*gravidos*' Vergilius dixit fetus, i. e. fruges; nam inveniuntur exempla similia, velut l. II. v. 424: ‚*(tellus) sufficit umorem et gravidas cum vomere fruges*': II. 143: ‚*sed gravidae fruges*', et carminis cui Ciris inscribitur v. 230: ‚*nec gravidos Cereris dicam contingere fetus*'.[4]) Licuit igitur poetae apium fruges, id est mella ‚*fetus*' nominare atque ‚*gravidos fetus*' pro largis, copiosis, uberibus, scilicet alvearia gravantibus dicere. Cum igitur verba ‚*gravidos cogunt fetus*' integerrimum praebeant sensum, ego non possum intelligere quare pro eis ‚*gravidos cogunt flores*' ponere poeta animum induxerit. At ne dici quidem apte potuit apes „gravidos flores" colligere, licet scholiasta addiderit: „*bene ‚gravidos flores quod ex his omnia generant.*" Nam inde a. v. 228 de mellificatione Vergilius praecipit et in v. 231 ut verba „*duo tempora messis*" ita ea quoque quae proxime antecedunt ad tempora mellificandi spectent oportet. Atque ut concedam veteres credidisse apes flores in alvearia conferre — quamquam unus locus qui hanc rem confirmare videtur Tibullianus (II. 1, 49):

---

1) Cf. Hor. Ep. I. 10, 45 sq.; Georg. IV. 140.

2) Cf. Georg. IV. 164.

3) Thilo p. XXVI.

4) Cf. etiam Ovid. Fast. I. 693 sq.

rure levis verno flores apis ingerit alveo
compleat ut dulci sedula melle favos

rectius fortasse a Vossio ita explicatur (p. 744) ut *,flores'* ibi pro fuco accipiantur quem ad relinendas alvei rimas apes ex floribus parare solent[1]) — tamen ex floribus ceram, mel autem e rore ab apibus procreari vulgo putabatur.[2]) Nostro autem loco de melle generando sermo esse debet. Non flores igitur, sed fetus, scilicet mella, bis quotannis ab apibus congeri docere Vergilius voluit. Itaque etiam hac ratione confirmatur genuinam lectionem esse *,fetus'*. Grammaticus autem cui haec parum perspicua videbatur — ac sane haec dicendi ratio habet aliquid exquisiti — de suo ingenio scripsit *,flores'*,[3]) tum vero alius acrioris iudicii ac doctrinae melioris summo iure revocavit priorem.

Nunc quid de his decem testimoniis iudicandum sit breviter comprehendam. Primum quidem certissimum est eos quam longissime a vero aberrare qui emendatas quae feruntur lectiones alterius Georgicon recensionis vestigia esse arbitrantur, cum ne ipsi quidem veteres interpretes vel uno verbo expresse affirmaverint pro editis lectionibus Vergilium alias substituisse et evulgasse, immo plerumque illi unius exemplaris Vergiliani correctiones ad poetam ipsum auctorem referant, nonnumquam etiam non nisi de variis variorum codicum scripturis verba faciant (velut ad I. 12; II. 333; IV. 112). Itaque emendationes illae, etiamsi nihil nos prohiberet quominus a Vergilio eas profectas esse concederemus, tamen sine dubio non alterius editionis, sed carminis nondum editi elimationis essent documenta. At ne hoc quidem verum esse, sed nullam ex schedis poetae vel e libro ipsius manu correcto aut scripto depromptam, omnes mera librariorum vitia esse Vergilio inepte vindicata a grammaticis qui „authenticum" codicem in manibus habere sibi viderentur demonstratum esse puto. Nam eas quoque lectiones „priores" quae sane non tam perversae sunt ut a poeta

---

1) Cf. Georg. IV. 39 sq.: „. . . *fucoque et floribus* (i. e. fuco florum) *oras explent.*"

2) Cf. Voss p. 86 sq.; 730 sqq.; 743 sqq.

3) Quod in codicem quoque Palatinum irrepsit.

scribi non potuerint librariis potius tribuendas esse ceteris exemplis de quibus omnino nequit dubitari satis comprobatur. Propterea id quod semel quidem Ribbeckius (Proleg. p. 30; v. s. p. 57), aliis multis locis Thilo concessit grammaticos qui ista prodiderunt testimonia corruptis exemplaris sui scripturis falsos esse, in omnia cadere necesse est fateare.[1]) Postremo quod ad auctoritatem testimoniorum attinet, iam commemoratum est alteram eorum partem in Vaticanis alteram in Lemovicensibus interpretamentis, nullam vero in breviore commentario cui Servii nomen praescriptum est inveniri. Cum autem veri simile profecto non sit eum qui ex ampliore commentario breviorem excerpsit consulto praeteriisse aut casu omisisse omnia quae de emendatis lectionibus adnotata erant, hinc non nihil adiumenti mihi quidem videtur redundare ad Thilonis sententiam firmandam qui breviorem commentarium Servianum vere integrum et plenum, atque in paucis tantum codibus additamentis maioris minorisve pretii amplificatum esse censet (v. s. p. 51). Quod si verum est, h. e. si ad Servium auctorem adnotationes illae referre non licet, apparet vel ab hac parte fidem earum, si quidem ullam haberent, valde imminui.

Sed narratio restat quae in Gellii libro sexto legitur (c. 20, 1): „*Scriptum in quodam commentario repperi versus istos* (Georg. II. 224 sq.) *a Vergilio ita primum esse recitatos atque editos: ‚talem dives arat Capua et vicina Vesaevo Nola iugo': postea Vergilium petisse a Nolanis, aquam uti duceret in propinquum rus, Nolanos beneficium petitum non fecisse, poetam offensum nomen urbis eorum, quasi ex hominum memoria, sic ex carmine suo derasisse, ‚oram'-que pro ‚Nola' mutasse atque ita reliquisse: ‚et vicina Vesaevo o r a iugo'.*" Eadem eodem videlicet ex fonte hausta,[2]) sed in brevius contracta etiam in scholiis Vaticanis, quae Philargyrii nomine ferebantur, exstant (p. 240, 6 Thilo) ad l. II. v. 224: „. . . . *et hoc emendavit ipse, quia Nolam posuerat: nam postea offensus a Nolanis, qui eidem aquam negaverant*[3]), *‚ora' pro ‚Nola' posuit.*" Gellius

[1]) Cf. Borgius p. 37.

[2]) Cf. Ribbeck Proleg. 23.

[3]) Thilo corrigere suadet: „qui ei aquam denegaverant."

igitur Vergilium scripturae iam editae aliam substituisse refert. at interpres Vaticanus item ut aliis quos modo tractavimus locis non nisi de lectione ab ipso poeta emendata loquitur. Ob hanc causam hoc testimonium, quod si scholiastam tantum respicere satis fuisset una cum ceteris disceptare licuisset, seorsum agitare ratio postulavit. Auctorem narrationis Gellianae ut probabiliter viri docti[1]) C. Julium Hyginum statuerint Augusti libertum, Palatinae bibliothecae praefectum, cuius commentarii in Vergilium facti nonnumquam laudantur,[2]) et ut ,Nola' in Georgicon libri alterius v. 225 non minus apte quam *,ora'* poni potuerit — nam verba *,vicina Vesaevo ora iugo'* aperte Nolam describunt — tamen lectionem divulgatam, quae plane deleri nimirum non magis potuit quam Galli istae laudes, a Vergilio mutatam esse ob eam insuper causam ut Nolanos aquam sibi denegantes hoc modo ulcisceretur, per se nimis absurdum quam quod facile credatur. Quam maxime enim fabula redolet grammaticorum inficetias. Et cum Gellius ipse non laborare sese dicat (l. l.) ea res verane an falsa sit, Hauptius ad commenta eam referre non dubitaverit *„quibus Vergilii nomen tempore satis antiquo cumulari coeptum est"*[3]), et Ribbeckius quoque *„fidem fabellae quis hodie spondeat"* quaerat[4]), Thilo eam totam accipere recuset, in refutanda ea tempus perdere eo minus opus est, quod qui alia omnia huius generis testimonia commentatorum sincere et accurate examinaverit, vix serio contenderit hac narratione admodum inepta Georgicon retractationem confirmari. Originem eam duxisse ex marginali nota grammatici, qui quam urbem Vergilius versibus 224—225 significare vellet adnotavit, non absurde, opinor, conicitur. Contra Thilonis autem sententiam qua Vergilium urbis Nolanorum nomen delevisse putat *„antequam carmen*

---

[1]) Kretzschmer De A. Gellii font. 1860 Gryphiswald. p. 77; Mercklin Jahns Jahrb. 1861 p 722: Ribbeck Proleg. 23 sq. et 1.0 sq: — sed cf. Borgius p. 27 sqq.

[2]) Cf. Ribbeck Proleg. p. 117 sqq.

[3]) Prooem. ind. lect. Berol. 1857 p. 4 = Opusc. II. 122.

[4]) Proleg. p. 23: idem vero paullo infra (p. 24) non intelligere se ait *„quid tam absurdi insit in narratione Gelliana"*; cf. Lect. Verg. p. 2.

ederetur et per iocum magis quam ut serio ulcisceretur" (p. XXV) ingenue me fateor nihil proferre posse nisi ab omni probabilitate eam longissime abesse mihi quidem videri. Nemo enim ignorat quam sit difficile eum qui tales nugas credere quam repudiare mavult in alteram opinionem firmis argumentis abducere. Ceterum secundarum curarum vestigium hic apparere Thilo quoque summo iure negavit[1]).

Jam priusquam ad sequentia properamus iuvat fortasse eius quaestionis quam ad finem nunc perduximus summam facere. Veterum auctorum documenta ad retractionem Georgicon confirmandam allata sunt quattuor. Quorum duo: Servii narrationem de Galli memoria post a. 728/26 e carmine nostro sublata et commentatorum adnotationes de singulis versibus verbisque emendatis aut mere ficta aut erroribus orta esse vidimus; Servianae autem et Donatianae vitae verba omnino non pertinent ad secundam Georgicon recensionem nisi prava interpretatione ultro ea vexare velis. Quam maxime igitur animum quaeso attendas ne tenuissimam quidem ad nos pervenisse famam qua carmen nostrum post primam editionem (a. 725/29) sive a Vergilio sive ab aliis in lucem denuo prolatum esse vel paulisper probari posset.

Quae cum ita sint ultro oritur quaestio cur tandem ab illa opinione utpote nullo veterum testimonio firmata viri docti non pridem omnes recesserint. Quos nostra praecipue aetate operam dedisse ut retractationis suspicionem indiciis ex carmine ipso repetitis vel confirmarent iam supra dictum et notissimum est. Neque hoc studium careret ratione, si certis et indubitatis testimoniis constaret Georgica post a. 725/29 in vulgus iterum vel tertium prodiisse. Tum enim sane mirum non esset vestigia secundarum curarum in poemate etiamnunc deprehendi. Cum vero demonstratum sit de nova recensione prorsus nihil traditum esse quo pedem figere et unde proficisci liceret, videamus nunc num tot tantaque in Georgicis appareant indicia ut quamvis testimoniis antiquorum auctorum plane destituti nihilo tamen secius concedere

[1]) Cf. etiam Borgius p. 26–30.

cogamur Vergilium eis emendandis etiam post a. 725/29 operam navasse. —

Retractationis Georgicon indicia a criticis recentioribus prolata sunt tria. Primum fuerunt[1]) qui putarent nonnullis locis, velut II. 170 sq.; II. 496; III. 24 sqq.; IV. 559 sqq. tempora posteriora describi. Sed hos falsos esse opinione et nullam in Georgicis exstare notationem ultra a. 724/30 vel 725/29 pertinentem supra evincere conatus sum et vel ii nunc concedunt qui de ipsa Georgicon retractatione non dubitant[2]).

Praeterea indagata sunt indicia duo quorum alterum ad narratiunculam Servianam de libro quarto a. 728/26 mutato, alterum ad editionem post mortem Vergilii a Vario curatam pertinet. Prius illud a Schapero inventum est.[3]) Qui cum persuasum haberet Servium de Galli laudatione sublata verum tradidisse quaestionem sane non otiosam movit posteriorisne temporis vestigia in versuum conformatione agnosci posset. Atque in hanc rem inquirenti ei libri quarta novissima pars, scilicet Aristaei et Orphei fabula (v. 315—558), pro deletis Galli laudibus inserta tantum a reliquo carmine distare videbatur ut eam una cum reliquis compositam editamque esse negaret. Quod si verum esset, profecto Servianae narrationi hinc aliquantum subsidii paratum esset. Sed argumentandi viam Schaperus perversissimam ingressus est. Primum enim quod ipse (p. 40) verissime dicit: *„non eidem poetae eadem semper placuere“* et (p. 4) *georgica per plures annos scripta mutati temporis signa ostendere* in libello tamen suo prorsus neglexit. Cum enim veri non dissimile sit ultimam Georgicon partem omnium fere novissime scriptam esse, vel hinc certe aliqua numerorum dissimilitudo nasci potuit, cum praesertim non triennium, ut Schaperus putat (p. 2 et 72), sed septem annos in componendis Georgicis Vergilium consumpsisse constet.

---

[1]) Quorum in numero etiam Ruaeum fuisse cave Heynio (vol. I. p. 423) credas.

[2]) Ribbeck Proleg. 22; Röm. Dicht. II. 42; Schaper p. 4—9; Borgius p. 6—21.

[3]) De Georg. a Verg. emend. p. 39 sqq.; adstipulatus est Fritzschius. Burs. Jahresber. 1873 I. p. 314 sq.

Praeterea egregi Thilo monet (p. XXV.) etiam argumenti diversitate poetam ultro eo adductum esse ut in epica narratione, quam Aristaei fabulam nominare licet, una cum dicendi etiam componendi ratione paullo alia uteretur atque in didactica oratione. Sed ad eludendam Schaperi opinionem hoc unum sufficit quod quaestionem ita ille instituit ut exempla elisionis, hiatus, synaeresis etc. quae in ducentis et quadraginta quattuor versibus (IV. 315—558) occurrunt cum eis conferret quae in reliquis mille et nongentis quadraginta versibus inveniuntur, nusquam numeri versuum diversissimi ratione habita.[1]) Talem argumentationem pravam esse nemo non sentit et mox clarius apparebit, cum aliqua prioris libri particula non minore quam fabula Aristaei, velut exempli gratia libri primi v. 176 — 423 cum reliquo carmine et, quod summum est, cum l. IV. v. 315—558 comparata demonstratum erit — eadem scilicet qua Schaperus usus est ratione adhibita — Vergilium in versibus faciendis non alias leges in novissima, alias in prioribus Georgicon partibus secutum esse. Ipsa autem elisionis exempla — de qua re primum et plurimum (p. 41—50 vel 60) Schaperus disseruit — in singulis versuum sedibus afferre opus non est, cum diligentissime omnia Schaperus collegerit et enumeraverit.

IV. 315—558:	I. 176—423:
(Schaper p. 41): „In quarto libro versus hypermeter non reperitur.“	In l. I. v. 176—423 reperitur quidem versus hypermeter (v. 295). Sed cum in toto carmine quattuor tantum exempla exstent, dubitari non potest quin casu factum sit ut in quarti libri parte posteriore nullum inveniretur, praesertim cum hoc artificium etiam post Georgica perfecta Vergilius non raro in Aeneide adhibuerit (v. s. p. 59 not. 3).

[1]) Eadem ratione Schaperus eclogam quartam, sextam, decimam decennio post reliquas compositas esse frustra demonstrare studuit in Jahnii annal. vol 89 a. 1864 p. 772—789; cf. Schaper De eclog. Verg. interpret. et emend. 1872 Pos. p. 41 sqq.

Thesis primi spondei:

(p. 41): „In altera libri quarti parte nec vocales *a* brevis, *i* longa, *o* longa elisae, nec monosyllaba (iam, cum, tum, dum) synaloephe cum sequentibus vocibus coniuncta sunt.“

In primi libri v. 176—423 nec vocales *a* brevis, *o* longa, *ae* diphthongus eliduntur, neque usquam syllaba littera *m* terminata synaloephe cum sequente voce coniungitur.

Secunda syllaba dactyli primi:

(p. 42): „In altera parte libri quarti nec longae vocales, nec *um* nisi in particulis coniunctis (*verum ubi*), nec monosyllaba elisione obscurata sunt.“

Haec etiam de primi libri v. 176—423 dici possunt.

In ultima syllaba primi dactyli

elisiones angustissimis finibus coercentur; neque vero aliae vocales in l. IV. v. 315–558 elisae sunt atque in l. I. v. 176–423.

Arsis altera:

(p. 43): „Elisae sunt . . . in altera libri quarti parte . . . ex longis syllabis *o* sola, ex brevibus vocalibus saepe *a* et *o*, raro *i* in particulis coniunctis.“ At ex longis syllabis praeter *o* etiam *ae* elisa est in v. 406, ubi „*variae eludent*“ quod optimi tres codices (M G P) exhibent retinendum, non Romani lectio „*variae ludent*“ mera videlicet negligentia orta recipienda est[1]).

Elisae sunt ex brevibus vocalibus saepe *a* et *e*, semel *i* (v. 221); ex longis quidem praeter *o* et *ae* etiam *a* (v. 325) et *e* (v. 413); sed animum advertendum illius syllabae elisionis in toto carmina tria. huius septem exempla occurrere.

---

[1]) Rationem cur codicem Romanum Schaperus hoc loco secutus sit ex commentario editionis Vergilianae ab eo curatae discere possis (vol. I. Berl. 1883[3] p. 186): „*Es ist nicht wahrscheinlich, dass Vergil „inludent“ oder „eludent“ geschrieben hat; denn in dem Gesange des Aristaeus (v. 315—558) treffen an keiner Stelle in Folge der Verschleifung einer langen Endsilbe drei Vokale zusammen.*“ — Eadem cum probabilitate idem in Georg. II. 82 et 353 et IV. 75 atque in ecl. IV. 12 scripturas traditas et integras mutavit.

Thesis spondei secundi:

(p. 44): „Ex longis vocalibus nulla elisa est praeter *e*.“

Ex longis vocalibus nulla elisa est.

Altera syllaba secundi dactyli:

„Excepto uno loco primi libri, in quo *i* longa cum *e* brevi copulatur (I. 193 *vidi equidem*) *e* correpta cum brevi coalescit ... (vicies septies). Nullum ex his exemplis in libri quarti parte altera scriptum est.“

Haec quidem dissimilitudo sane non videtur tam exigua quam aliae a Schapero investigatae. Quae tamen si non superatur, at aequiparatur certe aliis locis, ubi l. I. v. 176—423 a reliquo carmine longius distant quam l. IV. v. 315—558.

Syllaba ultima dactyli alterius:

„... in qua Vergilius cum antiquiores carminis partes scriberet breves vocales in pyrrhichiis interdum elisit.“

In primo libro nullum elisionis exemplum.

Arsis tertia „locus totius versus gravissimus“ (Schaper p. 44):

(p. 45): „Omitto vocales *e* et *u* longas, *i* et *o* breves nusquam elisas ... Sed vocalem *a* brevem nusquam nisi in Graeco vocabulo IV. 462 *Pangaea* elisam esse mireris: quae cum omnium vocalium et plenissima et clarissima sit, aurium iudicio poeta ab ea in gravissimo versus loco imminuenda retentus esse videatur“.

Minime mireris *a* brevem nusquam nisi in Graeco vocabulo elisam esse cum in primi libri v. 176—423 omnino nullam huius vocalis elisionem exstare videris ,cuius tamen in reliquo carmine non minus quam duodeviginti exempla reperiuntur. Praeterea nusquam *e* longa et *o* brevis, semel quidem in Graeco nomine *i* brevis (v. 399: ,*Thetidi alcyonas*‘) et bis (v. 179 et 197) *u* longa elisa est. Sed harum vocalium elisionis tanta est paucitas ut hoc quidem uno loco Schaperus ipse non potuerit casui nihil tribuere. Multo autem gravius est quod

in libri primi v. 176—423 nec diphthongus *ae* nec syllaba *em* usquam evanescit, quamquam in aliis Georgicon partibus octies *ae*, undevicies *em* cum sequentibus vocibus coalescit.

Thesis tertii spendei:

(p. 46): „In altera parte libri quarti cum nulla vocalis praeter (*e* brevem) elisa sit, syllabae *m* litera terminatae non minus saepe quam in prioribus georgicon partibus imminutae sunt.“

In libri primi v. 176—423 non solum nulla vocalis praeter *e* brevem elisa est, sed nusquam syllaba littera *m* terminata imminuta.

Tertii dactyli syllaba secunda:

(p. 47): „In prioribus libris Vergilius interdum et monosyllabum post (vocalem elisam) posuit et ionicum a minore; in altera parte libri quarti anapaestum syllabae elisae ubique subiecit.“

Sed illud cum „interdum“ tantum, scilicet tribus e duodetriginta locis, factum sit, non potest profecto argumento esse. At si elisiones ipsas spectamus, videmus in l. I. v. 176—423 nullam admissam esse nisi vocalis *e* brevis et syllabae *um*, in libri quarti altera parte etiam *ae*, *i* longae, *a* brevis.

Ultima syllaba dactyli tertii:

„In altera parte libri quarti nulla vocalis (elisa est).“

Item in primi libri v. 176—423.

Arsis quarta:

(p. 48): „In altera libri quarti parte ... nec ... monosyllabum Vergilius usquam delitescere fecit, nec longas praeter *ae*,

In libri primi media parte nusquam monosyllabum delitescit[1]); praeterea non solum longae vocales praeter *ae*, *i*, *o* —

[1]) Nam erravit Schaperus quod l. I. v. 201: ‚*non aliter quam qui adverso vix flumine lembum*‘ qui ad tertium dactylum pertinet (cf. Schaper p. 44) ad quartam arsin attulit exemplum.

e, *o*, *i*, nec syllabas *m* litera terminatas nisi sequente aut verbo substantivo „est" aut particula, nec breves praeter *a* sequente monosyllabo, *e* in particula „que", *i* in pronomine (*tibi*)".

non *e* — et breves praeter *o* sequente monosyllabo (v. 419), *e* in particula „que" (v. 372), sed etiam *a* brevis nusquam elisa est, quae tamen in ceteris libris decies sexies cum sequente syllaba coniuncta est.

Thesis spondei quarti:

(p. 49): „In altera libri quarti parte nec syllabae *m* litera terminatae elisae sunt nisi monosyllabo subiecto nec breves praeter *a* . . . Illud vero, quod in prioribus partibus scribendis Vergilius spectaverat, ut particula „que" hoc potissimum loco inserta versus partes coniungeret . . . idem quattuor annis post adeo neglexit, ut in novissima carminis parte unum eius exemplum inveniatur (IV. 330). Quem locum si exceperis, nusquam *e* brevem elisam videris, cum in primis libris et particulam „ne" et ultimas nominum verborumque syllabas cum sequentibus vocabulis poeta synaloephe coniunxerit".

Primum autem fugit Schaperum syllabae littera *m* terminatae elisionem monosyllabo non sequente exstare in l. IV. v. 449: ‚*quaesitum oracula*'. Tum vero vocalis *e* brevis in libri quarti parte posteriore semel elisa in l. I. v. 176—423 non saepius quam duobus locis evanescit atque hic quoque in particula „que" (v. 220 et 342); vocalem autem *a* brevem quae in ceteris poematis partibus quinquies decies cum aliis coalescit in libri primi parte media nusquam elisam esse sane mirandum esset, nisi rectius hoc casui daretur.

De secunda et tertia syllaba dactyli quarti quae rarissime vocalium elisioni patent nihil est quod disseram.

Arsis quinta:

(p. 49 sq.): „Paucissimae . . . vocalium non longissimarum elisiones in eo carmine inveniuntur, quod ille quattuor post primam

Hoc loco optime cognoscitur quantum haec numerandi ratio valeat. Quis enim qui plurimarum elisionum quae in hac

editionem annis divulgavit. Eliduntur in eo: *e* longa (420), *em* (444) *a* brevis (467), *e* brevis (392; 406; 481; 519; 557; 477). Eidem cum georgica scribere inciperet haec non placuere; nam in prioribus libris non solum illas syllabas saepius elisit .... sed etiam *i* brevem (semel), *am* (ter), *um* (quater); vocales longas: *i* semel, *o* (semel), *ae* diphthongum (semel)."

hexametri sede admissae sunt in toto poemate unum tantummodo exemplum exstare, nullam autem vocalem, excepta *a* brevi, saepius quam quater elisam esse viderit mirabitur magnam partem earum in ducentis quadraginta versibus libri quarti non reperiri? At eliduntur tamen in his *e* longa, *em*, *a* et *e* breves, ita ut numero elisionum aliis Georgicon partibus non superentur: nam in primi quidem libri v. 176 - 423 eliduntur diphthongus *ae*, *em*, *um*, *e* brevis, (nusquam *e*, *i*, *o* longae, *um*, *a* et *i* breves).

Secunda syllaba dactyli quinti:

(p. 50): In quarti libri altera parte bis *e* brevis elisa est.

In libri primi v. 176—423 nulla elisio.

Tertia syllaba quinti dactyli:

Vocalis *e* brevis semel cum sequente syllaba elisione coniuncta est.

In libri primi v. 176—423 *e* brevis saepius (quater) imminuta est.

Arsis sexta:

Eliduntur breves vocales *e* (bis) et *i* (semel).

Semel *e* brevis elisa est in vocula „que" (v. 347).

Ultima thesis:

Cum verbo substantivo („est") *a* brevis semel coalescit.

In primi libri v. 176—423 nulla elisio.

Ex hac comparatione dilucide apparet libri quarti partem posteriorem elisionis quidem artificio non plus a reliquo carmine differre quam totidem prioris libri versus. Haudquaquam igitur tali argumentandi sive potius numerandi ratione pro-

batur Georgicon quarti libri extremam partem una cum ceteris prodire non potuisse. Reliqua autem Schaperi libelli capita, de hiatu, de synaeresi, de ordinibus verborum etc. simili modo perscrutari non videtur opus esse, quoniam ibi quoque dissimilitudinibus numerorum specie quidem fortasse gravibus, accuratius autem si rem spectaveris nugis et quisquiliis undique collectis et compositis differentiam inter ultimam Georgicon partem et priores libros vir ille doctus patefacere conatus est neque umquam in mentem ei venit ducentos et quadraginta versus cum duobus fere milibus comparari. Praeterea hoc quoque iure ei Ribbeckius[1]) opprobrio dat quod numquam quaesivit num in mutata versuum conformatione, si qua cognoscitur, vere ars et consilium poetae a duriore et asperiore ad elegantiorem et limatiorem componendi rationem ascendentis agnosceretur. Debebat autem Schaperus Aeneidos quoque versuum structuram, ut plena argumentatio fieret, respicere et conferre. Denique etiamsi forte pro numero versuum comparatorum inter Aristaei fabulam et reliquas carminis partes dissimilitudo in conformatione versuum et in rhythmica arte appareret quae casui tribui non posset, tamen haec quoque eis causis quas initio (p. 67) commemoravi satis explicaretur. Narratiunculae igitur Servianae fides hac ratione nulla ex parte augetur.

Nunc ad retractationis gravissimum indicium perventum est. Cum semel alterius Georgicon recensionis suspicio, nata veterum quibusdam testimoniis, aucta temporibus in carmine descriptis (v. s. p. 67) certo stare videretur et cum, si quidem Vergilius usque ad diem supremum Georgica retractare et perpolire non desiit, sane non esset incredibile amicos post mortem poetae ut Aeneidos ita huius quoque operis emendati scilicet iterum emittendi laborem subiisse, mirum non est doctos homines praeter temporum posteriorum notationes etiam alia retractationis vestigia quaesivisse.

Atque primus Heynius, quamvis „*illud nonnullorum commentum, de versibus serius et secunda aliqua recensione inser-*

---

[1]) Jen. Litteraturztg. 1874 p. 316.

tis, . . . non admodum" se probare affirmasset (l. l p CXXV.; cf. p. CXXIII.), tamen ipse non solum propter res in libri tertii prooemio (v. 30 sqq.) significatas „*Georgicis nonnulla serius inserta esse*" non absurde statui censuit (p. 508; sed cf. p. CXXIV.), sed etiam ad quarti libri v. 291 sqq. temporis notam non continentes adnotat haec (p. 644): „*Mihi valde probabile fit, versum* (291) *aut fuisse adscriptum in tabulis poetae, cum nondum decretum esset utrum hunc an alterum* (v. 292) *anteferret, aut ex bono poeta in marginem fuisse appictum a Grammatico*". Jam Heynius igitur cum propter temporum descriptionem (III. 32 sqq.) tum vel propter connexum sententiarum versum quidem unum „*ex tabulis poetae*" insertum esse suspicatus est. Hac via ab illustri interprete illo munita longius progressus est Wagnerus cui praeter eos locos qui prioribus criticis offensioni fuerant (velut II. 170 sqq.; II. 497; III. 32 sqq.; IV. 291 sqq.) etiam alii non nulli (I. 47 sqq.; I. 135; III. 219; IV. 203; IV. 276) „*absoluto iam . . . toto Georgicorum opere, a Virgilio, ut fit, in marginem codicis coniecti esse et inde in textu illati*" videbantur (l. l p. 625). Hoc a quo homine factum esse sibi fingeret expresse non declaravit, videtur autem de editione a Vario et Tucca curata cogitasse. Tum novi huius opinionis defensores exstiterunt. Imprimis Ribbeckius (in Lect. Vergil.) secundarum curarum suspicionem cum aliis de quibus iam dictum est argumentis tum eo maxime confirmare studuit quod repudiatis superiorum interpretum erroribus et abiectis nonnullis locis quos Wagnerus serius illatos putaverat multos alios ab amicis Vergilii novam editionem curantibus mutatos aut insertos esse statuit. Et in hanc sententiam quam antea[1]) acriter impugnaverat Ladevicus postea ipse abiit[2]), et alii quoque viri docti alia retractationis documenta in carmine nostro investigarunt non ubique Ribbeckio adsentientes.[3]) Tum vero denuo de hac re Ribbeckius in Prolegomenon capite tertio (p.

---

[1]) Jahns Jahrb. 1856. p. 464 sqq.; cf. Ribbeck ib 1857 p. 75 sqq.

[2]) Beurtheilung der Peerlkampschen Bemerkungen zu den ländl. Ged. Vergils 1864 Neustrel. p. 3 et p. 16.

[3]) Cf. Tittler l. l; Hitzig Rhein. Mus. XV. (1860) p 321 sqq.; Hanow Schedae criticae ad Verg. Georg. 1863 Lissa.

22 sqq.) disputavit et priore iudicio in singulis mutato multo maiorem collegit copiam versuum qui sententiarum nexum turbare, male collocati aut cum proximis nondum conciliati, qui quae paullo ante dicta essent moleste repetere, denique qui manifesta secundarum curarum, i. e. novae editionis a Vergilio paratae, sed ad finem non perductae vestigia esse ei videbantur.

De his igitur retractationis documentis quid iudicandum sit quaerere oportet. Neque enim Schapero (p. 9 sqq.) aut Coningtoni (vol. III. p. 475 sqq. = Journ. of Philol. vol. I. 1868 p. 54—66) quamquam multa contra Ribbeckium bene disputarunt contigisse crediderim ut omnes difficultates ab illo motas interpretatione accurata omnibus locis tollerent. Borgium vero de eadem re disserentem minime possum laudare, cum Peerlkampi[1]) videlicet auctoritate deceptus in versibus suspectis ad interpolatorem confugere nos iubeat (p. 42 sqq.). Sed quamquam mihi quidem persuasum est nullum Georgicon versum, codicum quidem fide satis confirmatum, interpolatori deberi, tamen in hac commentatione non de omnibus versibus a criticis iniuria damnatis aut transpositis agere in animo est, sed de eis tantum in quibus editionis emendatae post obitum Vergilii in lucem emissae vestigia deprehendi docti viri arbitrati sunt. Priusquam vero singula perscrutamur antea de retractatione et altera editione ipsa in universum pauca disseram.

Si Georgica a Vario et Tucca post mortem Vergilii iterum edita esse statuitur, primaria quaestio oritur qua tandem ratione, quo consilio ducti illi carmen a poeta ipso decem annis ante evulgatum denuo emitterent. Nam Aeneidos sive imperante Augusto sive suo Marte curaverunt editionem primam ne hoc opus non absolutum quidem, sed ad magnam perfectionem adductum oblivioni daretur. Georgicon autem iterum vel tertium proferendorum causa esse non poterat nisi ea ut carmen limatius quam antea fuisset in publicum prodiret. Viri docti autem credere nos iubent poetam quidem ipsum morte

[1] Mnem vol. X. (1861): — cuius offensiones optime plerumque refutavit Ladevicus in libello supra laudato (Neustrel 1864).

prohibitum esse quominus carminis septennio conscripti et tum undecim per annos emendati alteram recensionem conficeret publicique iuris faceret, Varium autem et Tuccam paratae editionis novae ad finem perducendae laborem ita suscepisse ut quaecumque in tabulis poetae mutata, in margine adscripta invenirent: versus cum ceteris nondum in concinnitatem redactos, dittographias, sententias adeo imperfectas in textum inveherent locis insuper nonnumquam ineptissimis, quamvis secundum criticorum quidem arbitratum non raro mentem Vergilii melius perspicere potuissent, dummodo vel paulisper sententiarum tenorem et consilium poetae curassent. At etiamsi constaret Vergilium Georgica edita emendare perrexisse — quamvis mihi ne res quidem per se spectata, ut taceam testimonia adesse nulla, probabilis videatur — quis facile credat Varium et Tuccam edendi munere, auspice Augusto, ita functos esse ut carmen septem annis compositum, expolitum, perfectum non tam emendatum quam depravatum et multis variisque maculis aspersum emitterent? [1]) An in Aeneidos, carminis imperfecti, editione curanda tales illi se praestiterunt? [2]) Teneamus igitur secundarum curarum nullum praesto esse indicium atque hoc ipsum, de quo acturi sumus, per se solum gravissimis obnoxium esse dubitationibus. At si argumentis re vera confirmaretur Georgicis nonnulla serius inserta esse, tum profecto neque veterum auctorum silentium neque codicum Vergilianorum consensus neque quod res ipsa ratione carere et a probabilitate quam maxime abhorrere videtur impedire nos deberet quin concederemus alteram carminis recensionem a Vergilio inchoatam post obitum eius cum non nullo scilicet operis damno publici iuris factam esse.

---

[1]) Nescio quo iure Glaserus (p. 170 et 186) ordinis versuum in Georgicis, ut putat, nonnumquam turbati culpam ad librarios contulerit, quasi vero non Vario et Tuccae, Vergilii amicis et ipsis poetis, sed obscuris grammaticis editio carminum Vergilianorum mandata esset.

[2]) Servii narrationem de Georgicon novissima parte a. 728/26 mutata, si forte cui nondum satis profligata videatur, ad editionem post obitum Vergilii in lucem emissam comprobandam auxilio vocare non licere supra (p. 31 not. 1 et p. 34) exposui.

Singula retractationis vestigia eo ordine perlustrare iuvat quo in poemate nostro inveniuntur.

Primum locum l. I. v. 100—103 *„secundis curis . . . confinxisse Vergilium, sed ad reliqui carminis contextum adcommodare neglexisse“* Ribbeckium (Proleg. p. 31 sq.; cf. Lect. Verg. p. 4) iniuria statuisse inter omnes fere constat [1]). Leviora enim argumenta quibus opinationem suam commendaret nescio an nullo alio loco ille attulerit. Praeceptorum ordinem inde a v. 43 usque ad 117 bene se excipientem interrumpi ait (Proleg. p. 32 v. 100—103 *„alienissimis, qui non ad culturam agrorum, sed ad caeli gratiam omnia referenda esse docent“*:

Umida solstitia atque hiemes orate serenas,
agricolae: hiberno laetissima pulvere farra,
laetus ager; nullo tantum se Mysia cultu
iactat et ipsa suas mirantur Gargara messes.

Omissis quae de aequabilitate quadam versuum Ribbeckius disseruit — neque enim ea in tali quaestione quicquam probatur — dispositionem potius totius loci et connexum sententiarum examinemus. Post prooemium (v. 1—42) poeta incipit de aratione praecipere: ac de tempore arandi agit v. 43—49, de varia agrorum natura v. 50—63, de invertendis et recreandis arvis v. 63—93; de occatione et de iteratione v. 94—99. Hactenus de tempore ante sementem loquitur. Deinde a v. 104 exponit quid strenuum agricolam post sationem facere deceat ut pro sua parte succurrat nascentibus herbis. Hoc v. 104 aperte docet: *„quid dicam iacto qui semine comminus*[2]) *arva insequitur . . .“* In versibus autem qui medii intercedunt (100—103) Vergilius iubet agricolas precibus adire deos, ut munere arationis sationisque laborioso perfunctis propitii sint iustamque adnuant tempestatem: *umida solstitia atque hiemes serenas.*[3]) Hi versus igitur interrumpunt sane ordinem sententiarum, sed pulcherrime et considerate interrumpunt. Ingeniose enim poeta observavit

[1]) Cf. Ladewig Jahns Jahrb. 1856 p. 465 sq.; Tittler p. 4 sq.; Schaper p. 11; cautius Conington iudicavit p. 475. Unus quantum scio Ribbeckio adstipulatus est Forbiger l. l. vol. I. p. 202.

[2]) In interpretanda voce ‚comminus‘ Servium sequendum esse arbitror.

[3]) Haec verba Servius prave interpretatus est.

morem argricolarum qui quamvis pro viribus quisque humanis operose ac diligenter officia sua exsecutus sit, tamen deos penes quos eventus sit implorare solent ne iniqua tempestate corruant quod homines summo cum labore perfecissent. Quod vero in illis versibus ipsos agricolas Vergilius adloquitur, dum et in antecedentibus et in sequentibus praecepta simpliciter enumerat, quis in hac re vitium ac non artem potius poetae agnoscet, qua ab ipsorum praeceptorum serie deorum invocationem (100—103) etiam mutata dicendi ratione consulto distinxit? Idem artificium ad variandam simul et exornandam orationem paullo infra Vergilius adhibuit (I. 264 sqq.):

exacuunt alii vallos furcasque bicornis
atque Amerina parant lentae retinacula viti.
nunc facilis rubea texatur fiscina virga,
nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxa.
quippe etiam festis quaedam exercere diebus
fas et iura sinunt.

Nihil igitur est cur v. 100—103 qui nec ipsi difficultatem ullam praebent nec male turbare connexum sententiarum accuratius intuenti videntur secundis curis atque inepto loco additos esse suspicemur. Immo cum de satione ipsa Vergilius omnino non dixerit — ac noluit totam carmine exhaurire materiam — vel eo non nihil effici crediderim contra retractationis suspicionem quod versibus illis (100—103) omissis, qui ibi locum habent ubi de semente facienda si quid edocere voluisset poeta edocere debuit, paullo abruptior et durior, ni fallor, ab arandi praeceptis v. 99) ad tempus post semen iactum (v. 104) transitus esset. —

In versibus libri primi 173 sq.:

caeditur et tilia ante iugo levis altaque fagus
stivaque quae currus a tergo torqueat imos

quae offendunt legentem ad nostram rem non multum pertinent. Disceptatur enim quomodo verba copulata ‚*altaque fagus stivaque*‘ intelligenda sint. Interpretes iam olim alii alia difficultatis remedia protulerunt. Multi pro tradita scriptura ‚*stivaque*‘

Martini coniecturam ‚*stivae*‘ receperunt [1]) ita ut dativus ‚*stivae*‘ eadem ratione ad ‚*fagus*‘ pertineret qua in 173 ‚*iugo*‘ ad ‚*tiliae*‘. Schaderus v. 174 ante 173 positum cum antecedentibus (172) coniungi voluit: ‚*aptantur densalia dorso stivaque quae currus a tergo torqueat imos.*‘ Quod praeter Ladevicum probavit Ribbeckius, cui „*ipse turbatus ordo de marginali nota suspicionem confirmat*“ (Proleg 43). Plerique autem servatis codicum scriptura versuumque ordine ‚*stivaque*‘ per epexegesin ad ‚*altaque fagus*‘ appositum, id est ‚*fagus stivaque*‘ pro ‚stiva fagi‘ vel ‚stiva faginea‘ accipiendum esse statuunt. [2]) Quam explicationem ne amplectamur nihil video quod obstet; commendatur autem eo quod verba tradita integra relinquit. Dicendi enim ista ratio aut figura exemplis satis confirmatur, velut in Aeneidos septimo (v. 750 sq.) ‚*Marruvia venit de gente sacerdos, fronde super galeam et felici comptus olivae*‘ h. e. ‚fronde olivae‘ sive ‚oleaginea‘; in Georgicon altero ‚*pateris et auro*‘ libant (v. 192); in quarto Vergilius apes alveorum oras ‚*fuco et floribus*‘ explere narrat (v. 39 sq.); in tertio Aeneidos Jovem Troes ad Strophadas insulas delati vocant ‚*in partem praedamque*‘ (v. 223): cf. etiam Aen. I. 258; Georg. III. 198.

Sed sive hanc explicandi sive illam emendandi viam ingrediare: Schraderi propositio ideo displicet quod eiecto v. 174 verba ‚*altaque fagus*‘ non habent quo apte referantur; nam si ad ‚*caeditur tilia iugo*‘ pertinerent, non particula ‚que‘ subiungenda fuissent. Ceterum de secundarum curarum additamento perperam hoc loco cogitari vel eo sequitur quod credi nullo modo potest Vergilium in aratri descriptione partes quam maxime necessarias non commemorasse [3]). —

Libri primi v. 187—192 ab Hanovii (l. l. p. 6) suspicionibus, Ladevico fere probatis, Ribbeckius satis defendit (Proleg. p. 55). —

Graviores dubitationes de libri eiusdem v. 204—310 post

---

[1]) Velut Vossius, Jahnius (qui tamen postea revocavit librorum lectionem). Schaperus, alii

[2]) Cf. Wagner p. 317; edit. Hauptii, Forbigeri, Thilonis, al.

[3]) Cf. Güthling Burs. Jahresber. 1889 vol. 59 II. p. 132.

alios[1]) movit Ribbeckius. Qui v. 231—275 secundis curis a Vergilio compositos esse atque ab amicis editoribus in textum ita inserendos fuisse censet ut *„omissis 204—207 se exciperent haec: 257 sq. 252—256. 231 sq. 233—251. 208 230. 276—286. 259—275. 287 - 310."* In his autem *„nondum absoluta fuisse 233—251 et 259 - 275"* existimat, quo factum sit ut illis quidem versibus (231 251) nullo vinculo cum aliis copulatis *„certum locum adsignare difficile"* sit (Proleg. p. 41 sqq.)[2]).

Disputationem possumus ita instituere ut de versibus 204—256 et 257—310 seiunctim disseramus, nam in utraque parte plena cogitatio et oratio continua videtur. Primum Vergilius de observando caelo loquitur (204—256), atque monet agricolas ut sidera speculentur (204—207), cum magnum hinc fructum percipere possint (208—230). Tum interposita de quinque mundi zonis digressione (231—251) sequuntur v. 252—256. Qui cum ab antecedentibus (231—251) alieni esse, idem insuper atque v. 204—207 docere viderentur, non solum transpositione vexati sunt, sed etiam alterius recensionis suspicionem moverunt.

Quod ad connexum sententiarum attinet recte quidem Ribbeckius monet (p. 40) ex tractatu de quinque zonis non posse pendere v. 252 sqq.: *‚hinc tempestates dubio praediscere caelo possumus'* e. q. s. Attamen transpositione minime est opus, licet in v. 257 sq. ante 252 positis et per se spectatis haud male oratio progrediatur. Sed hac specie cave decipiare: neque enim de his tantummodo versibus in ordinem redigendis agitur, sed tota narratio (204—256) quomodo cohaereat quaeritur. Quam si subtilius examinaveris, traditum ordinem mutandum non esse cognosces. Nam v. 252—256 non ad ea quae proxime antecedunt (231—251), sed ad superiora (204 vel 208—230) referendi sunt. Illa enim quibus quid hoc, quid illo sidere emergente vel occidente facere agri-

---

1) Cf. Hanow l. l. p. 6 sqq; Peerlkamp l. l. p. 128 et 374.

2) In editione minore (Lips. 1881) versus tantum 257 sq. et 291—296 transposuit, v. 231 275 imperfectionis signum astericos appinxit.

colis conveniat exponitur optime videlicet sensu connexi sunt cum v. 252 sqq. Neque vero quidquam ad secundarum curarum suspicionem stabiliendam eo effici quod v. 252—256 non necessarii videntur et consentaneum est et exemplis quae statim ad aliam rem confirmandam proferam una apparebit. Nam exemplis probandum est non absurde statui v. 252—256 ad superiora (204—230) respicere, non ex proximis (231—251) pendere.

In quarto libro Georgicon Vergilius ‚*ni iam sub fine laborum vela*' traheret (v. 116 sq.) etiam ‚*pinguis hortos quae cura colendi ornaret*' (118 sq.) versibus se persecuturum fuisse affirmat (116 sqq.); atqui singulas res quae tum sibi celebrandae fuissent in transcursu commemorat (119—124). Tum pulcherrimam inserit descriptionem arvorum senis Corycii (125—146), quasi ipse apud hunc hortorum cultum didicisset (v. 125). Hanc autem qui excipiunt v. 147 sq. ad initium capitis (116 sqq.) respicere poeta ipse indicat hisce verbis: ‚*verum haec . . . aliis post me memoranda relinquo*' (147 sq.). Nempe non beatam senis illius vitam quam ipse modo eximie depinxerat posteris Vergilius canendam relinquit, sed culturam hortorum quam ‚*spatiis exclusus iniquis*' praeterit. Ac fuit qui hoc mandatum susciperet, non Gargilium dico Martialem quem Servius hoc loco laudat (p. 331, 19 Thilo), sed Columellam qui decimum librum praemissa solita praefatione sic exorsus est:

Hortorum quoque te cultum, Silvine, docebo
atque ea quae quondam spatiis exclusus iniquis
Vergilius nobis post se memoranda reliquit.

Jam cum nequeat dubitari quin v. 147 sq. ad v. 116 sqq. respiciant, animum velim attendas illos duos versus, quippe qui nihil habeant quod non in v. 116 sqq. iam dictum sit, una cum tota digressione (125—146) sine ullo sententiarum detrimento exstingui posse. Quis vero haec serius addita esse suspicetur? Immo neque inepte neque temere poeta post interiectam digressionem additis v. 147 sq. ad initium recurrit finem simul huic capiti impositurus.

In primo libro Vergilius de agris colendis praecepta promit v. 43—159; dehinc novam materiam *,quae sint duris agrestibus arma'* (v. 160) canere incipit. In priore capite postquam de aratione, de satione, de irrigatione etc. locutus est (43—117) pergit enarrare ea quae arvis vel diligentissime exercitis nocere et *,hominum boumque labores'* (v. 118) irritos reddere soleant. Tales pestes enumerat anserem et grues, intibam nimiamque umbram (118—121); tum vero non statim docet quibus modis a segete eae cohiberi possint, sed deflectens de origine earum, h. e. de saeculi aurei interitu loquitur (121—154); versibus demum 155—159 in viam redit et malorum illorum praesidia ac remedia ita profert ut ad initii capitis conformationem (118 sqq.) hos versus effingat. Nam ut illic anserem et grues, intibam et umbram officere dicit ita hic quoque herbam insectari rastris, aves sonitu terrere, falce umbram premere abundantem iubet (155—158), simulque in fine capitis agricolas ne labores illos spernant aut negligant deterret proposita imagine futurae inopiae.[1]) Atque hoc quoque loco patet poetam interposita digressione motum esse ut non solum eo unde exorsus erat reverteretur, sed aliquatenus quidem etiam repeteret quae initio exposuerat.

Etiam primi libri v. 63 sqq. non ad antecedentia (50—63), sed ad initium narrationis (43 sqq.) spectant;[3]) atque hic sicut eo loco de quo controversia est voce *,hinc'* (I. 252) poeta particula *,ergo'* post digressionem ad propositum redit.

Item v. 397 sqq. libri secundi ad v. 371—379 referendi sunt, non ad digressionem quae praecedit (380 - 396); etiam libri secundi v. 343—345 et libri tertii v. 73 96 comparari possunt.

His exemplis satis puto illustrari, quod per se non nimis offendit, libri primi v. 252—256 usu Vergiliano non repugnante ad v. 204—230 referri posse. Redit igitur poeta post tractatum

---

[1]) Cf. Hes. Ἔργ. 394 sq.

[2]) In v. 155 particulam *,quod nisi'* simpliciter pro *,nisi'* vel, ut interpretari licet, pro *,quare nisi'* positam esse non est quod moneam; cf. ecl. IX. 14.

[3]) Cf. Voss p. 69; Hanow p. 7 not.

de quinque zonis, ut par erat, ad rem propositam cum docet quantum fructum ex siderum observatione agricolae capere possint. De nautis autem et hoc loco et initio capitis (204 sqq.) loquitur non quo ad rem pertineant, sed quod altero loco agricolas ad caelum observandum incitare vult nautarum exemplo proposito quorum tota salus hac arte continetur, altero autem omnia comprehendit emolumenta quae ex speculandis sideribus redundant. Ceterum in v. 204 - 207 et 252—256 iteratio si qua est et causam habet et excusatur inserta digressione. Jam cum v. 208—230 optime excipere v. 204—207 — sequitur enim expositio propositionem — et huc v. 252—256 respicere certum sit, videamus quo iure digressionem (231—251) Ribbeckius non solum secundis curis conscriptam, sed vel imperfectam esse autumaverit (Proleg. 41 sq.). Primum nihil potest perversius esse quam eo quod Vergilius „*haec omnia omittere poterat*" (Ribbeck p. 41) concludere aut suspicari ea serius addita esse. Nam si omnia quae ad carminis consilium necessaria non sunt altera recensione inserta esse opinari velis, non ita difficile digressiones maxime possis recidere nulla quidem plerumque sententiarum turba, sed non sine magno poematis damno cuius bona pars venustatis in episodiis posita est et in quo notum est Vergilium non tam repudiasse quam cupide arripuisse occasionem digrediendi, nimirum ut didacticum carmen quod quantavis arte et doctrina compositum et expolitum tamen languorem fortasse legentibus incutere posset hac ratione exornaret.

Sed particula „*idcirco*" (v. 231) digressionem cum superioribus male vinciri Ribbeckius censet. Et verum quidem est quod dicit zonis nihil commune esse cum satione de qua in antecedentibus sermo est. At non debebat tacere in v. 231—251 etiam de orbe zodiaco quem vocant verba fieri (v. 238 sq.); hic vero, quippe in quo sidera alia alio tempore surgentia cadentia reapse *haud obscura* mittant *signa* (v. 229) quando hordeum et linum, fabas, viciam, phaselum serere conveniat (208—230), non nihil ut opinor cum satione commune habet. Ab astrorum igitur vario cursu (208—230) ad signiferum orbem[1]) in quo

[1]) Cf. Lucr. V. 689 sqq.

duodena signa vertuntur indeque ad quinque mundi zonas quae hoc ipso obliquo orbe efficiuntur facillime Vergilium transire potuisse in aperto est. Neque ipsa transitionis forma, particula ‚*idcirco*' (v. 231), merito vituperatur. Sane non „*ut viciam seras vilemque phaselum*" de zonis praecipitur (Ribbeck p. 41), sed ut opportune negotia sua exsequi agricolae discant sidera varia vario tempore oriri et cadere Vergilius affirmat.[1]) Quam interpretationem veram esse ex primi libri v. 351 sqq. cognoscitur ubi eadem fere cogitatio recurrit:

Atque haec ut certis possemus discere signis,
aestusque pluviasque et agentis frigora ventos,
ipse pater statuit quid menstrua luna moneret,
quo signo caderent austri.

Sic tractatus de quinque zonis cum antecedentibus cohaeret. In quo nullo iure Ribbeckius exspectavit „*duodena illa astra per zonas disposita*" enumerari (Proleg. p. 41) — in qua re sola videtur imperfectionem huius loci agnoscere, nam aliud imperfectionis indicium non profert —: an serio quisquam reprehendere Vergilium potest quod zonas pulchre et poetice describere quam velut fastorum scriptor duodecim caeli signa singulatim enumerare maluit?

Sed ut omnes difficultates quoad fieri potest auferamus, redeamus ad initium capitis (204 sqq.). De quo Ribbeckius haec (p. 41): „. . . *scrupulosior qui sit mirari possit, cur tandem et quas ad res haedos potissimum et anguem omnino servandos praeceperit, qui mox ubi singula exponit praeter booten, quo commemorato ad ‚arcturi sidera' respicere videri possit, omnia alia signa . . . enumerat quidque valeant docet.*"

Sed hanc rem notatu sane dignam iam Servius optime explicavit cum diceret (p. 179, 13 Thilo): „*haec . . . signa* (scil. arcturum, haedos, anguem: v. 204 sq.) *generaliter posuit: non enim haec tria tantum, sed omnia praecipit observanda*". Atque hunc esse usum Vergilianum exempla confirmant:

---

[1]) Hoc iam Vossius optime monuit (p. 118): „*Um die Geschäfte des Landbaus zu bestimmen, lenkt die Sonne . . . den jährigen Kreislauf . . . durch die zwölf Sternbilder des Thierkreises.*"

In libro primo postquam solem Caesaris mortem portentis praenuntiasse Vergilius narravit (466—468) ita pergit (469 sqq.):

tempore quamquam illo tellus quoque et aequora ponti
obscenaeque canes inportunaeque volucres
signa dabant.

Attamen satis fuit hoc loco „generaliter" dicere praeter solis defectum etiam alia prodigia multa visa esse horrenda, quoniam signa ipsa singula in sequentibus (471—488) enumerantur.

Similiter in altero libro de propagine arborum poeta in universum refert: ‚*saepe alterius ramos inpune videmus vertere in alterius*‘ (32 sq.); addit autem haec: ‚*mutatamque insita mala ferre pirum et prunis lapidosa rubescere corna*‘ (33 sq.). quamquam de inserendi arte infra plenius disserit (69 sqq.). Conferri possunt etiam l. II. v. 30 sq. et 63 sq., nec non l. I. v. 118 sqq. et 155 sqq.[1])

De versibus igitur 204—256 quibus Vergilius exponit quantopere agricolis ad agros rite serendos sidera observare conducat sic sentio: v. 204—207 propositio, v. 208—230 expositio sunt; v. 231—251 digressio cum antecedentibus cohaerens, v. 252—256 ad initium respicientes conclusio.

Hactenus igitur Vergilius de temporibus serendi ex signorum vario cursu cognoscendis loquitur. Videamus nunc num in sequente parte (v. 257—310) turbas apparere retractatione ortas meliore iure critici statuerint.

Initio Vergilius agit de negotiis agricolae suscipiendis si forte externa quadam causa ab arvis exercendis retinetur (v. 259—275). Atque causae afferuntur quae afferri potuerunt duae, primaria iniqua tempestas (259—267), altera dies festi (268—275). Versibus autem 259—267 non hiemale tempus densissimo imbre (cf. v. 333), sed singulos dies pluviales significari non solum verba ipsa: ‚*agricolam si quando continet imber*‘ (v. 259) indicare videntur, sed apertius et eo demonstratur quod de hieme poeta infra disserit (299—310) et totius loci concinnitate. Nam sicut dies festi qui in sequentibus (268—275) commemorantur sine dubio ad totum annum perti-

[1]) Cf. Hanow p. 6 sq.

nent, ita etiam in superioribus (259—267) aquis vere, aestate, autumno cadentibus rustici ab agris colendis nonnumquam coerceri dicuntur. Denique etiam v. 276 documento est poetam a diebus qui per totum annum dispersi consuetos agricolarum labores interrumpere soleant, scilicet pluviosis atque festis, ad eos progredi quos religione vel superstitione sacros singuli menses reducunt fastos (276—277; 284—286) et nefastos (277—283; 286).[1] Hinc vero ultro eo fertur ut quomodo singuli dies ipsi operibus disponendi sint doceat (287 — 310), et hanc rem ita absolvit ut primum de nocturnis, tum de diurnis laboribus praecipiat, sed in hac partitione rursus discrimen faciat inter aestatem atque hiemem. Agitur igitur v. 287—290 de aestivae noctis, 291–296 de hibernae noctis, 297—299 de diei aestivi,[2]) 299—310 de diei hiberni negotiis. Hunc sententiarum progressum qui secum reputaverit optimo et considerato ordine omnia praecepta proferri concedet. Itaque cum certum sit nullas turbas in v. 259—310 deprehendi, transponendi periculum praeter necessitatem non faciemus, cum praesertim nec pulchrior nec artior, immo, si quid sentio, aliquanto deterior evadat connexus v. 291—296 post v. 310 collocatis.

Videamus nunc quid de v. 257 sq. iudicandum sit. Qui utrum ad sequentia an ad superiora pertineant et quomodo cum his illisve cohaereant dissensio est. Ribbeckium enim qui eos ante v. 252 ponit ibi quaedam desiderari ratus unde verba ‚*hinc tempestates dubio praediscere caelo possumus*‘ (252 sqq.) pendeant, non recte iudicasse ex eis sequitur quae de v. 204 — 256 disserui.

Duo illi versus (257 sq.) a plerisque editoribus cum sequentibus, a Jahnio autem et Coningtone (l. l. vol. III. p. 479) cum antecedentibus ita coniunguntur ut Vergilius tamquam summam faciens in fine capitis iterum moneat agricolas ut

---

[1]) „Frigidum“ (v. 259) etiam aestivum vernumque imbrem recte nominari vix opus est monere; cf. Conington vol. III. p. 479.

[2]) Ne forte in eo haereas quod de operibus aestivo die exsequendis paucissima Vergilius docet (297—299), teneas omnia quae de agris colendis in hoc libro exponuntur nimirum et aestate et luce curanda esse.

sidera observent.[1]) Sed haec propositio quantumvis speciosa primum ideo displicet quod v. 257 sq. superioribus additi non nullo iure inanes et superflui dici possint, quippe qui nihil habeant quod non iam antea dictum sit; accedit quod, si post v. 258 finem capitis facimus, ea quae sequuntur (259 sqq.) cum prioribus nullo omnino vinculo connexa videntur. Sed versus illi num re vera a sequentibus alieni sunt? Ribbeckius (Proleg. p. 40) „*v. 257 sq.*, ait, *cum inde a v. 259 doceatur agricola non quibus signis futurum imbrem praevidere, sed quae opera per imbrem absolvere possit, cum his nulla ratione coniuncti sunt.*“ Sed hoc argumentum nihil valet. Etenim eo quod v. 259 sqq. pluviae indicia non proferunt perperam concluditur eos ad v. 257 sq. non quadrare. Minime enim Vergilius hoc loco signa futuri imbris promere voluit, sed verbis ‚*nec frustra . . . speculamur*‘ (v. 257) aperte docuit in sequentibus se alia commoda quae ex astrorum observatione agricolae capere possint eis additurum esse quae antea (208—256) commemoraverat. Atque ipsa signa imbris ac ventorum quoque et aestus et frigoris venientis poeta aptissime continua narratione tum affert, cum de negotiis aliis alio tempore obeundis et quantum in subita tempestate damnum imprudentes rustici facerent copiose disseruerit (v. 351 sqq.). Non iure igitur signa illa post v. 258 aperiri exspectamus.

Versus autem 257 sq. cum sequentibus sic cohaerere videntur:[2]) Sidera annique vices *non frustra* agricola spectat Quem ubi imbres aut dies sollemnes ab exercendis arvis prohibent non segnem domi sedere oportebit, sed cum iam antea sidera ei certa signa (cf. v. 351 sqq.) dederint imminentis pluviae (cf. v. 333 sqq.) temporisque festi, prudens et temporis sui rationem habens iam antea ad hos dies reservare poterit labores quos tum per tempestatem aut per fas et leges (v. 268 sqq.) absolvere licet, neque his tempus teret aliis diebus quibus foris laborare opus est et facultas.

A diebus autem festis (268—275) optime poeta progre-

---

[1]) Hanovius v. 257 sq. quamvis genuinos iubet expungi (p. 6 sq.).

[2]) Cf. Voss p. 129.

ditur ad dies felices et atros (276—286), quippe qui ipsi quoque caeli motu regantur. Hucusque igitur v. 257 sq. pertinent. Nam quae sequuntur praescripta de singulorum dierum partibus (287—310) cum siderum ortu obituque aut cum anni quattuor temporibus non tam firme cohaerent. Facillime autem intellectu quomodo Vergilius ad hanc materiam, quae ceterum vix potuit alio loco aptius tractari, sensim pervenerit.

Jam si quaerimus quomodo v. 257 sq. cum superioribus connexi sint, verba ,*nec frustra*' (v. 257) sane aliquid miri praebent. Nam cum iam antea (204—256) poeta docuerit *non frustra* signorum cursum a rusticis observari, exspectamus alterum quod additur emolumentum ex caeli speculatione petitum (257—286) paullo aliter antecedentibus subiungi. Sed tamen non prorsus abruptus aut nullus omnino transitus est, nam particula ,*nec*' v. 257 sqq. cum prioribus quamvis minus arte vincti videntur.

Postremo ut paucis versuum collocationem examinemus a Ribbeckio propositam (v. s. p. 81), primum initio capitis longe melius poni crediderim v. 204—207 quam 257 (,*nec frustra signorum obitus speculamur . . .*'), tum male seiungi v. 208—230 a v. 204—207 qui intime videlicet cohaerent; an a v. 251 facilior quam a 207 ad 208 sq. transitus est? Conclusionem denique totius loci multo pulchriorem v. 307—310 facere quam 291—296 sentire mihi videor. Sed haec utcumque sunt, certe cum v. 204—310 tradito ordine bene se excipere neque quodammodo turbati aut imperfecti videantur, nihil praeter necessitatem mutandum est. —

Secundi libri v. 39—46 ad v. 8 Hanovius (p. 9 sqq.) relegare iubet, cui praeter Ladevicum[1]) etiam Ribbeckius adstipulatus est qui perrupto semel ordine tradito alia quoque similia hoc loco temptavit (Prol. p. 46).[2])

Uterque enim Maecenatem non post agricolas (35—38),

---

[1]) In edit. Vergil. 1866 Lips.

[2]) De v. 41—44 quos inde a voce ,*pelagoque*' usque ad ,*ferrea vox*, Hanovius ut ab interpolatore intrusos expellit et in quibus explicandis non sine causa docti viri elaboraverunt disserere omitto, quoniam retractationis vestigia nemo adhuc ibi deprehendi statuit.

sed post Bacchum (2—8) appellari debere censet. Res non fefellit priores interpretes, qui vero propter hunc ipsum versuum positum laudabant potius Vergilium mentem eius melius perspicientes.

Nam ad primi libri exordium male Hanovius provocat. Ubi materia breviter circumscripta (1—4) deos omnes Vergilius adesse precatur quorum munera iamiam celebraturus est (4—23). Tum demum Octavianum adloquitur (24 sqq.), non quasi hic primum locum obtineat in deorum concilio (cf. Hanow p. 9), sed quod in prooemio carminis auspice et fautore imperatore orti debebat splendida eius mentio fieri. Longe alia res est in secundi libri prooemio, ubi sicut in tertio (v. 1) Palem solum Bacchum poeta appellat huius dei dona (cf. v. 454) toto hoc libro praedicaturus. Verissime igitur Heynius ad hunc locum adnotat (vol. I. p. 398 sq.): „*Proposito quasi argumento libri ad eius pertractationem Maecenatem invocat; commodiore loco, quam si paullo ante v. 5—9 Baccho subiunxisset privatum hominem.*“ [1]) Nec divini honores Maecenati aeque atque Caesari tribui a Vergilio poterant. Sed omnino traiciendi causa vilissima ac prope ridicula est. [2]) Vehementer enim dubito num eo quod post agricolas Maecenas se appellari vidit sicut critici recentiores ita ipse quoque Cilnius honoris sui aliquid detrahi putaverit, qui praesertim non ut praecepta simul cum rusticis discat invitetur, sed ut *inceptum una* decurrat *laborem* (v. 39). [3])

Denique cur scrupulos nobis iniciat [4]) quod Vergilius carmine iam inchoato (v. 9—34) non „*per ambages et longa exorsa*“ (v. 46) Maecenatem se moraturum esse pollicetur non possum dispicere. Nam et verum est quod poeta affirmat neque alienum

---

[1]) Cf. etiam Voss p. 275.

[2]) Non ob aliam melioremve rationem, quod in transitu commemorare velim, libri secundi v. 454—457 expellere fuerunt qui iuberent (cf. Hanow p. 10; Peerlkamp p. 154), scilicet ne Vergilius praesentem aut certe invitatum Bacchum impiis illis verbis laedere videretur; (sed cf. Ribbeck Proleg. p. 49 sq.).

[3]) Cf. Schaper p. 13 sq.

[4]) Cf. Hanow p. 9.

ab eo loco quo Maecenatem sibi adesse cupit in altum evecturo; neque vero eo progredi licet ut dicamus poetam non debuisse invocationem inserere postquam praeceptorum seriem incepit.

Quae si recte disputata sunt, cecidit una cum illo tentamine etiam Ribbeckii coniectura qui v. 35—38 ab Hanovio integros relictos, cum resectis v. 39—46 suo loco stare non possent, v. 108 subiunxit. Hic quam apte positi sint omitto quaerere, quoniam servatos v. 39—46 antecessisse v. 35—38 vocula ‚*que*' (v. 39) documento est. —

In libri secundi v. 343—345:

nec res hunc tenerae possent perferre laborem,
si non tanta quies iret frigusque caloremque
inter et exciperet caeli indulgentia terras.

de sensu ipso controversia est. Multi verba ‚*possent*', ‚*iret*', ‚*exciperet*' pro ‚potuissent', ‚ivisset', ‚excepisset' accipientes v. 343—345 ad mundi originem referunt. Alii versus illos pertinere arbitrantur ad v. 323—335 quibus de vere quotannis redeunte poeta loquitur. Atque hanc explicationem veram esse eo comprobari crediderim, quod v. 344 sq. quibus de tempore inter frigus et calorem intercedente sermo est non quadrant ad primum mundi modo orti ver. Videmus igitur etiam hoc loco, sicut eis de quibus supra (p. 82 sq.) dictum est, post brevem digressionem ad exornandam narrationem insertam (336—342) Vergilium eo redire unde exorsus est v. 343—345, quibus veris vim et beneficia iterum (cf. v. 315—342) praedicat.

Hoc qui consideraverit, non poterit adsentiri Ribbeckio in abrupta quadam breviloquentia haesitanti (Proleg. p. 40). Et qui tandem brevitas, si qua cognoscitur, retractationis documentum esse potest? Cetera autem quae idem de addendis et omittendis versibus disserit (l. l.) nimis in universum ac parum accurate disputata sunt ita ut nec poscant nec admittant refutationem. —

In l. II. v. 371—379 imprimis offensioni fuit repetitio sententiarum:

Texendae saepes etiam et pecus omne tenendum,
praecipue dum frons tenera inprudensque laborum;
cui super indignas hiemes solemque potentem
silvestres uri adsidue capraeque sequaces
inludunt, pascuntur oves avidaeque iuvencae.
frigora nec tantum cana concreta pruina
aut gravis incumbens scopulis arentibus aestas
quantum illi nocuere greges durique venenum
dentis et admorso[1]) *signata in stirpe cicatrix.*

Ribbeckius enim de his versibus haec (Proleg. p. 32): „. . . *vides eadem bis doceri: prohibendum esse a tenera fronde pecus, nam ipsa hiemis duritia solisque potentia magis nocere arboribus ferarum morsum (373—375), nec frigora tantum obesse aut aestatem, quantum dentes gregum (376—379). Quoniam autem haec multo dulcius atque uberius fluunt illis, non poterit dubium esse utra minus limatorum loco supponi voluerit auctor.*" Et persuasit fere Forbigero (l. l. vol. I. p. 348) et vel Thilo ceteroquin in hac quaestione cautus criticus v. 373—375 „*tamquam a poeta ipso non editos sine dubitatione*" seclusit (l. l. p. XXVII.). Ut videamus num in v. 371—379 iterationem viri docti iure statuerint, proficiscendum a v. 373. Quem cum Ribbeckius et alii non nulli ita interpretentur ut ‚*super*' pro ‚magis quam' accipiant, sane eadem hoc loco bis referri videntur. Atqui multo rectius iam olim Ruaeus, tum alii multi[2]) monuerunt ‚*super indignas hiemes*' nihil aliud esse nisi ‚praeter hiemes indignas', exemplis allatis cum aliis tum Aeneidos l. VIII. v. 303 sq.: ‚*talia criminibus celebrant: super omnia Caci speluncam adiciunt*'; et l. VII. v. 803: ‚*Hos super advenit Volsca de gente Camilla.*' Itaque in v.

[1]) In v. 379 ‚*a morso*' in codice Mediceo a prima manu exaratum est, quod etiam Servius in exemplari suo legisse videtur (cf. Serv. ad Georg. II. 196). Romanus ‚*admorsu*' habet, fortasse recte: nam etiam in Mediceo correcta lectio est ‚*a morsu*' i. e. ‚*amorsu*'. Editores plerique ‚*amorso*' vel ‚*admorso*' exhibent, Ribbeckius, ut solet, Palatinum secutus ‚*ad morsum*' recepit.

[2]) Cf. Wagner p. 461; Jahn p. 376 sq.; Tittler p. 5; Schaper p. 16; Conington III. p. 476.

371—375 poeta simpliciter monet: ‚cavete ne frondi praeter hiemes solesque etiam uri officiant et caprae.' Tum vero gradationem vel potius novam addit sententiam hanc: ‚vel magis quam frigora solesque nimia tenerae frondi bestiae illae nocere solent: idcirco has procul habere antiquissimum est.' Apparet iterationem molestam in his versibus non inesse. Si vero poetam oratione luxuriari iudicas — quod haud abnuerim — conferas sis locum plane geminum qui in libro primo legitur (v. 438 sqq.):

sol quoque et exoriens et cum se condet in undas
signa dabit; solem certissima signa sequuntur,
et quae mane refert et quae surgentibus astris.

et quarti libri v. 197 sqq.:

illum adeo placuisse apibus mirabere morem,
quod neque concubitu indulgent nec corpora segnes
in Venerem solvunt aut fetus nixibus edunt,

ubi ter eundem apium morem sane mirabilem poeta effert. Conferri possunt etiam libri tertii v. 179—181 et v. 224 sqq., in quibus non recte Hanovium (p. 5) punctum post v. 225 posuisse iudico, et v. 269 sq.

Sed Peerlkampus (p. 148 sq.) v. 373—375 Vergilio indignos putat, cuius auctoritate seductus Borgius item interpolatori eos vindicare non dubitat (p. 42); atque etiam Ribbeckius, quamvis ceterum longe aliter sentiens, v. 376—379 dulcius et uberius fluentes in locum v. 373—375 „minus limatorum“ cedere Vergilium voluisse censet (l. l.). Itaque quamquam, si v. 373—375 spurii sunt, quaestio ad nos iam nihil attinet quibus de retractationis tantum vestigiis agendum est, tamen opus est dubitationes Peerlkampi accuratius perscrutari, ne quis eis alterius recensionis suspicionem confirmari credat.

In v. 373—375 nullum fere verbum illi non offensioni est. Primum ‚frigida tempestas' et ‚nimius calor i l l u d u n t frondi' negat umquam dictum esse aut dici a Vergilio potuisse (p 148). Sed vereor ne hac dubitatione vitium detectum non sit. Poetae enim qui alio loco (Georg. I. 181) ita loquitur: *‚tum*

variae inludant pestes‘ non minus apte hiemes et soles ‚inludentes‘ facere licuisset; Vergilius autem non hoc dicit, sed feras refert frondi illudere, unde ad *‚hiemes solemque‘* facillime suppletur verbum nocendi.

Sed magis Peerlkampo displicet quod poeta uros[1]) frondi magis offendere iniqua tempestate narrat. „*Qui tales feras*, conclamat (p. 148), *tenellis palmitibus facit ‚illudentes‘, is Herculi soleas infantis aptat.*“ Quid vero? num poeta uros tota corporis vi in vitium frondes impetum facere narravit? nonne vel ferocissimas et maximas bestias frondi „illudentes“ fingere nobis possumus? „Illudere“ enim cum sit „ludendo perdere“ vel „per ludum nocere“[2]) optime videlicet non solum ad capras, verum etiam ad uros insultantes quadrat.

Porro criticus ille Batavus verba *‚indignas hiemes‘* et *‚caprae sequaces‘* (373 sq.) tamquam insolita reprehendit. At neque insolita quae sunt simul indigna esse oportet neque verum est quod Peerlkampus posuit. Hiemes enim „indignae“ non minus recte dicuntur, ni fallor, quam ‚amor indignus‘ (ecl. VIII. 18; X. 10) aut ‚indignus dolor‘ (Aen. XII. 411): nam ut hic Gallus (ecl. X. 10) et Damon (ecl. VIII. 18) amore, Aeneas (Aen. XII. 411) dolore vexantur ‚indigno‘, ita nostro loco pulcherrime Vergilius frondes perire memorat hieme ‚indigna‘, i. e. plus iusto saeva.

Verba autem *‚capraeque sequaces inludunt‘* (374 sq.) quis non sentit eximiam artem Vergilii prodere qua uno illo epitheto *‚sequaces‘* egregium in modum capras huc illuc teneras vites insectantes ante oculos nobis posuit?

Postremo verba: *‚cui super indignas hiemes solemque potentem silvestres uri adsidue capraeque sequaces inludunt, pascuntur oves avidaeque iuvencae‘* (373—375) duplici laborare videntur difficultate: primum quia *ἀνακολούθως*, tum quia *ἀσυνδέτως* duo illa enunciata posita sunt. Schaperus ut haec vitia auferret graviore distinctione post *‚inludunt‘* interpunxit

[1]) In v. 374 *‚uri‘* mutandum non esse — proposuerunt ‚tauri‘ vel ‚hirci‘ vel ‚ursi‘ — docet l. III. v. 532.

[2]) Cf. Serv. ad Georg. I. 181; Tacit. hist. II. 94.

(p. 16) Sed hac ratione quamvis Güthlingio accepta [1]) satis bonam medelam paratam esse non puto. Aegre enim in verbis *,pascuntur oves avidaeque iuvencae'* (v. 375) puncto ab antecedentibus seiunctis careas obiecto ad verbum pascendi, quod sic nude positum vix potest tolerari. Statuendum potius verba *,inludunt'* et *,pascuntur'* omninoque v. 373—375 zeugmate esse coniuncta cum pronomine *,cui'* (373). Quod eo minorem creat difficultatem quod inter *,cui'* et *,inludunt, pascuntur'* duo pleni versus intercedunt. Exemplum attulit geminum Ladevicus Aeneidos l. VIII. v. 566 sq.: *,cui tum tamen omnis abstulit haec animas dextra et totidem exuit armis'*, pro ,cui . . . abstulit et quem . . . exuit'; comparari possunt etiam l. VII. v. 189 sqq.: *,quem capta cupidine coniunx . . . fecit avem Circe sparsitque coloribus alas'*, pro ,quem . . . fecit avem et cui sparsit . . . alas'. Alteram autem offensionem fateor me non posse exemplis tollere; sed aut opinione fallor aut Vergilius consulto duo illa verba *,inludunt, pascuntur'* sine ulla coniunctione iuxta posuit, quo gravior et efficacior evaderet exhortatio ut ne vites teneras protervis gregibus agricolae perire sinerent. Et haec dictio quamvis insolentior Vergilii profecto magis quam interpolatoris ingenium redolet, neque ob hanc unam causam — ceteras enim offensiones vidimus esse nullas — v. 373—375 minus limatos, nedum subditicios esse iudicabimus. Atque etiamsi illud verum esset, tamen hinc iure colligi non posset v. 376—379 secundis curis confectos illorum in locum substituere Vergilium voluisse. Etenim eiectis v. 373—375 se excipiunt haec:

371 *Texendae saepes etiam et pecus omne tenendum*
372 *praecipue dum frons tenera inprudensque laborum.*
376 *frigora nec tantum cana concreta pruina*
aut . . . aestas, quantum illi nocuere greges.

Quem hic non male habet a v. 372 ad 376 transitus: *,frigora nec tantum'?* Exspectandum enim causam cur saepes texendae sint afferri fere sic: ,Texendae saepes . . . neque enim frigora tantum nocent frondi quantum greges'. At si v. 373—375 suo loco retinemus optime oratio progreditur: ,tenerae frondes

---

[1]) Edit. Vergil. 1886 Lips; sed cf. Borgius p. 43.

saepibus sunt cingendae quibus praeter hiemes solemque etiam uri et caprae illudere solent; nec tantum frigora nocent aut aestas quantum greges'. —

Libri tertii v. 37—39:

Invidia infelix furias amnemque severum
Cocyti metuet tortosque Ixionis anguis
inmanemque rotam et non exsuperabile saxum.

„*emblematis speciem*" prae se ferre Ribbeckius iudicat (Proleg. p. 38). Imaginem enim v. 37—39 adumbratam aptius in foribus (26—33) expressam cogitari quam post lapides Parios (34—36) commemorari[1]) arbitratus versus illos serius a Vergilio additos, necdum perfectos, post v. 33 inserendos fuisse censet. Sed utrum Invidiam in foribus an lapide excusam an, quod Vossius voluit, in tabula pictam poeta animo sibi finxerit ambigi potest neque haec traiciendi iusta ratio est. Nam totus hic locus de templo exstruendo ita comparatus videtur ut non iure quis omnia quae poeta ingenio indulgens versibus persecutus est oculis cernenda, manibus temptanda esse flagitet. Quod vero imaginem illam inchoatam, non absolutam esse Ribbeckius dicit (p. 39), hoc concidit expulsa quam e codice Palatino recepit lectione ,*metuens*' pro ,*metuet*',[2]) quod et in Mediceo et Romano legitur et sensum praebet integerrimum dictionemque vere poeticam. Neque quod in libro quodam Meadiano, ex quo ceterum nihil propriae virtutis Ribbeckius expiscari potuit (Proleg. 360), v. 37—39 omissi sunt (cf. Proleg. 38) quidquam valet. Quaerendum potius num versus illi male collocati videantur eo loco quo in codicibus optimis leguntur. Templum in honorem Octaviani amplum et ornatum de marmore se positurum esse Vergilius pollicetur: ,*in medio . . . Caesar erit templumque tenebit*' (v. 16); in foribus eius faciet victorias imperatoris (26—33); ponentur etiam ,*Parii lapides, . . . Assaraci proles*' (v. 34 sq.), Julia gens. In fine descriptionis — nam v. 40 poeta in viam redit — additur Invidia, sed ea de-

[1]) Kolsterus (Jahns Jahrb. 1882 vol. 125 p. 717 sq.) de figuris in fastigio templi collocatis cogitat.

[2]) Similiter qui codicem Romanum scripsit erravit, cum in l. IV. v. 239 exararet ,*metuens*'; nam vix potest dubitari quin Medicei et Palatini lectio ,*metues*' genuina sit, licet Vossius et Jahnius alteram praetulerint.

bellata et ad Tartarum profligata.[1]) Hanc imaginum seriem vel corrumpi crediderim v. 37—39 ante v. 34 collocatis. Nam Vergilius consulto et optime videtur mihi post victorias et gentem Octaviani commemorasse Invidiam devictam et noluisse versus ipsius Caesaris gloriae inservientes (26—36) interrumpi descriptione Invidiae in Orco scilicet Orci terrores metuentis. Et in hac re ut alii aliter iudicent, certe non iure v. 26—39 tradito ordine bene se excipere negatur neque est quod v. 37—39 secundis curis nescio qua de causa adscriptos esse suspicemur, cum praesertim neque imperfecti sint neque aliud additamenti vestigium praebeant. —

In libri tertii v. 82 sq. verba *‚glaucique, color deterrimus albis et gilvo‘* ut interpolata Hitzigius[2]) exstirpat, de secundis curis non disserit. Sed Ribbeckius hunc quoqu · locum a retractante poeta illatum esse censet (Proleg. p. 43).[3]) Damnandi ea maxime fuit causa quod descriptio pulli generosi (75—88) interrupta videtur colorum distinctione (82 sq.). Quod ita videtur explicandum: Naturam moresque equi quem *‚in spem statues submittere gentis‘* (v. 73) poeta depingit v. 73—79; tum de figura ac specie loquitur (v. 79—81), ubi adduntur illa de coloribus (81—83). Perperam autem in eo haesitatur quod hoc loco inter equorum colores distinguitur. Etenim in equi admissarii forma et moribus describendis per se intelligitur eum qui cervicem minus arduam habet, caput minus argutum etc. (79 sqq.) officio illi minus esse idoneum. Longe vero secus res se habet ubi de coloribus agitur. Hic non satis est nominare honestissimos, spadices et glaucos (81 sq.), sed etiam deterrimos memorari oportet (82 sq.), nimirum quia ex optimo colore nemo potest

---

1) Cf. Heyne p. 509; Conington III. p. 478. — Heynius l. l. similem Aeneidos locum (I. 294 sqq.) non male iubet conferri.

2) Rhein. Mus. XV. p. 321 sqq. – Verba ipsa *‚color deterrimus albis‘* miror Hitzigium non vidisse nihil aliud significare nisi ‚color deterrimus albus‘. Idem in verbis *‚albis et gilvo‘* (82 sq.) sine causa se torquet: nempe quod alterum adiectivum singulari, alterum plurali numero positum est non prodit interpolatorem, qui non maiore opera „albo“ aut „gilvis“ scribere potuit.

3) In editione minore nihil mutavit.

colligere qui sit pessimus. Itaque in v. 81—83 nihil est superfluum aut a consilio poetae alienum. —

Libri tertii v. 120—122 post v. 96 ponere Tittlerus suasit (l. l. p. 8 sqq.).[1] Primum autem quaerendum quid in v. 96 sibi velint verba: ‚*abde domo, nec turpi ignosce senectae*.' Sunt enim qui ea sic accipiant: ‚abde domo et ignosce senectae non turpi'.[2] Et quamquam non negaverim hunc sensum posse in verbis per se spectatis inesse, tamen ex sententiarum connexu alteram significationem necessario effici existimo. Vergilius enim postquam exposuit equum quem submissarium esse velis qualem esse oporteret (73 sqq.), exempli gratia de equis mythologia celeberrimis loquitur (89 sqq.); dein monet ne quis vel praestantissimum ‚domo abdere' cunctetur, simulac ‚*morbo gravis aut iam segnior annis deficit*' (95 sq.): nam ‚*frigidus in Venerem senior*' etc. (97 sqq.); propterea animos aevumque equorum praecipue notanda esse docet, ‚*hinc alias artes, prolemque parentum*' (100 sqq.). In hoc praeceptorum tenore non video quid verba ‚*nec turpi ignosce senectae*' significare possint nisi quod legenti primum in mentem venit: ‚neu ignoscas turpi senectae'. Neque vero „crudelem" Vergilium putabimus[3]) quod aegrotum annosumve equum a grege coercere iubet. Ex hac interpretatione simul apparet v. 95 sq. et cum antecedentibus et cum sequentibus artissime vinctos esse. Nam equi descriptionem (73—88) et exempla e fabulis petita (89—94) egregie illi versus excipiunt quibus Vergilius hortatur ne vel talem equum qualem modo depinxerat, ubi aut morbo confectus est aut aetate provectus, ab equarum consuetudine removere quis dubitet. Certissimo enim documento sunt verba ‚*hunc quoque*' h. e.: ‚vel hunc', ‚*abde domo*' v. 95 sq. ea ratione quam significavi cum superioribus cohaerere, vel si rem accuratius spectamus ad v. 73—88 respicere, non ad digressionem proxime antecedentem (89—94).[4])

---

[1]) Cf. Hitzig l. l. p. 323 sq.; Ribbeck Proleg. 40.

[2]) Peerlkamp p. 236; Kappes edit. Verg. ad h. l.

[3]) Cf. Peerlkamp l. l.

[4]) Possis igitur hoc exemplum eis addere de quibus supra (p. 82 sqq.) dictum est. Quamobrem non recte puto editores quantum video omnes post v. 94 incisionem facere novamque partem versu 95 incipere significare.

In sequentibus autem (97—100) poeta, ut par est, docet cur seniores domo sint abdendi — nam de aegrotis (v. 95) nihil erat quod diserte moneret. Postremo enarrata causa Vergilius particula *‚ergo‘* (v. 100) summam faciens maxime *‚animos aevumque‘* notare iubet, h. e. equum eligere calidum iuventa, tum etiam artes respicere et gentem et naturam (100—102).

Nunc v. 120—122 suasore Tittlero, probante Ribbeckio, Hauptio, Ladevico, Thilone (sed cf. adn. crit. p. XXVII.), inter v. 96 et 97 collocatis videamus quae narratio evadat:

95/96 *hunc quoque . . . abde domo nec turpi ignosce senectae,*
120 *quamvis saepe fuga versos ille egerit hostes*
et patriam Epirum referat fortesque Mycenas
122 *Neptunique ipsa deducat origine gentem.*
97 *frigidus in Venerem senior. . . .*

Statim apparet, dummodo memineris quomodo v. 95 sq. cum superioribus nexi sint, eadem inutiliter ac moleste bis referri. Quid enim aliud in v. 120—122 narratur atque in 75—94? Nempe si poeta haec narrat: „Equus submissarius debet esse forma et natura quali fuere nobilissimi illi Pollucis, Martis, Achillis equi, quali ipse fuit in equi formam mutatus Saturnus; sed vel talem (*‚hunc quoque‘* v. 95) aude, cum tempus venerit, domi retinere neve ignoscas seni nunc turpi“ — nemo profecto exspectat alterum addi enunciatum concessivum (120—122), quo nihil affertur quod non iam antea (v. 75—94) dictum sit. Immo postquam poeta equum ipsum satis descripsit et vel talem qualem descripserat iussit removere morbo aut aetate confectum, exspectamus causam addi cur hoc poeta iubeat: et causam afferunt v. 97—100. Caveamus igitur ne v. 120—122 eo invehamus, ubi plane nihil desideratur, sed plena et continua narratio est. Traiectioni autem non solum sententiarum connexus obstat, sed etiam pronomen *‚ille‘* (v. 120). Quamquam enim haud ignoro Vergilium nonnumquam quasi abundanter illud addere, tamen ubi de transponendis versibus agitur non puto negligendum esse transpositione orationem effici quae habet quod displiceat: *‚hunc quoque . . . abde domo nec turpi ignosce senectae, quamvis . . . ille*

egerit hostes . . .‘ In versu autem 120 suo loco servato non temere pronomen *‚ille‘* positum esse statim ostendere studebo. Nunc enim, cum viderimus non necessario, sed vel cum aliquo detrimento v. 120—122 post v. 96 inseri, ratio postulat ut quaeramus cur tandem tres illi versus sede expulsi novam quaerere iubeantur. In libris se excipiunt haec:

118 *aequus uterque labor, aeque iuvenemque magistri*
exquirunt calidumque animis et cursibus acrem,
120 *quamvis saepe fuga versos ille egerit hostes*
et patriam Epirum referat fortisque Mycenas
Neptunique ipsa deducat origine gentem.

Ac primum quidem ineptum est quod pronomen *‚ille‘* (v. 120) primo obtutu non ad equum, sed ad iuvenem spectare videri sunt qui dicant; nam in tali verborum coniunctione nemo sanus vel paullulum perseverabit. Gravius autem est quod ante v. 120 desideratur sententia sive verbum quo *‚quamvis‘* (v. 120) referatur. Et ob hanc causam interpretes v. 120—122 post v. 96 locum adsignasse videntur (cf. Tittler p. 9). Verum sententia illa non desideratur, sed profecto adest. Si enim, quod sensus versuum et connexus et ipsa maxime particula concessiva (*‚quamvis‘* v. 120) flagitant, in pronomine *‚ille‘* v. 120) summam sententiae vim contineri atque vocem istam δεικτικῶς pro ‚alius‘ positam esse statuimus, habemus narrationem hanc: „Magistri iuvenem exquirunt calidumque animis et cursibus acrem, quamvis alius saepe fugaverit hostes et patriam Epirum referat“ e. q. s.; h. e.: „eligunt magistri e grege praecipue iuvenem, licet patre ignoto, ignobili patria editum; spernunt seniorem illum et segniorem, licet hic quoque quondam acer et calidus fuerit et vel nunc frustra patriam gentemque iactet illustrem“. Sic omnis evanescit difficultas; pronomen autem *‚ille‘* pro ‚alius‘ Vergilius, si quid sentio, eo consilio posuit ut vivida evaderet oratio.[1]) Itaque cum non possit dubium esse quid v. 118—122 poeta voluerit, non est ratio necessaria aut iusta cur v. 120—122 eiciamus. Quos

---

[1]) Glasero, qui traiectioni v. 120—122 ipse repugnat (p. 168), in interpretando v. 120 adsentiri non possum.

inter v. 96 et 97 collocatos aliquatenus turbare sententiarum contextum — ut taceam ibi prorsus nihil desiderari — ostendere conatus sum.

De alia transpositione a Tittlero commendata (p 9 sq.), qua v. 113—119 post v. 102 ponere iubemur, non opus est copiose disputare. Nam vere Ribbeckius monuit persuadendi necessitatem non adesse (Proleg. 40); et potuit profecto Vergilius de Erichthonio et de Lapithis (113—119) non minus apte post quam ante certaminis equorum descriptionem (103—112) loqui. At non solum hoc propositioni illi iure obicitur, verum nullo modo probari potest v. 102 interiectis v. 113—119 dirimi a v. 103 sqq. quibuscum firmo sententiae vinculo copulatus est. Denique quod in coniectura Tittleri Ribbeckio arridet *„certantium equorum imaginem multo venustius in versum 112 exire“* (l. l. p. 40), hoc sane verum est, si v. 120—122 loco suo expelluntur: sin autem hos retinendos esse recte demonstratum est, apparet optime et pulchre totam narrationem concludi[1]. —

In tertii libri v. 242—270 Ribbeckius iam in lectionibus Vergilianis (p. 6), tum quamvis adversante Ladevico (l. l. p. 466 sq.) et Tittlero (p. 5), idem vero sentiente Peerlkampo (p. 251 et 382), etiam in Prolegomenis (p. 32—34) gravem turbam ortam esse statuit additamentis e schedis Vergilianis male in textum intrusis. Versus enim 250—254 secundis curis additos pro expunctis vel expungendis v. 269—270 ante v. 266 collocat et v. 264 sq. post v. 257, ita ut hic evadat ordo: 242—249. 255—257. 264—265. 258—263. 250—254. 266—268. 269—270 (hos tamen duos versus ut dittographiam uncinavit et asteriscis notavit).

Primum enim eum male habuit quod post bestiarum amorem (245—257) ardor iuvenis narratur (258—263) et rursus hinc ad feras repellimur (264 sqq.). Propterea v. 264—265 subiunxit enumerationi bestiarum (245—257)[2]. Jam vide quid agatur. Inter feras iuvenem tolerare Ribbeckius recusat,

---

1) Cf. Conington vol. III. p. 478.

2) Cf. etiam Peerlkamp p. 382.

attamen ipse v. 264—265 cum 245—257 connectit, quamquam etiam in versibus sic positis a iuvene ad feras oratio procedit. Ego quidem me fateor intelligere non posse quid lucri faciamus si iuvenem (258—263) a suis quidem Sabellici vicinitate removemus, sed post lynces, lupos, canes, cervos (264 sq.) et ante equos (250—254) et equas (266 sqq.) enumerari sinimus[1]).

Porro v. 250—254 secundis curis pro oblitterandis 269—270 poetam ante v. 266 inseri voluisse Ribbeckius dicit, primum quia non fuerit cur equae ab equis segregarentur, tum quia *„nimis similia de utroque genere praedicantur"* (Proleg. p. 33). Quod ad causam priorem attinet, nemo eo progreditur ut poetae suam in hac re sequi mentem licuisse neget. Illud vero Ribbeckius reprehendit quod equos inter silvarum feras poeta relegavit (Proleg. p. 33). At Vergilium in hac enumeratione inter bestias feras et non feras distinguere voluisse verum non est, quoniam praeter iuvenem (258—263) etiam canes (265) una cum lupis et cervis nominavit. Ac si canes non mansuetos, sed feros intelligere malis, quidni de equis (250—254) idem sumamus? Equas autem ultimo loco poeta commemorat quod de his habuit rem satis dignam quae uberiore efferretur narratione (266—283). Quod etiam illud *‚scilicet'* quod initio capitis legitur indicare videtur[2]).

Postremo in v. 250—254 et 269—270 similia narrari tum profecto offenderet legentem, si illos hi statim sequerentur; sin autem quindecim ferme versuum spatio secernuntur, non nimis haerebimus in eo quod de equarum furore praeter alia etiam ea commemorantur quae similiter de equorum amore antea dicta erant[3]). Omitto alia quae contra transpositionem non inepte disputare possunt, ne quae Ladevicus et Tittlerus attulerunt recoquere videar[4]). —

---

[1]) Cf. Ladewig p. 466; Tittler p. 5 sq.

[2]) Cf. Voss ad Georg. I. 282, p. 136.

[3]) Cf. Conington p. 477.

[4]) Editores novissimi Thilo, Güthling, Kloucek (Lips. 1888) integrum hunc locum iure exhibent.

Tertii libri conclusionem (v. 534—566) Peerlkampus grammatici esse censet omnia undique corradentis, de suo ineptias fere addentis (l. l. p. 267 sqq.). Hoc iudicium abunde refutavit Ladevicus [1]), quamquam nescio an in singulis quaedam addenda aut aliter tractanda fuerunt, velut v. 538 sq., 545, 550. Atque Ribbeckius laudat quidem illum quod a Peerlkampi criminibus versus vindicavit, attamen ipse dubitat num ea quae nunc in extremo libro tertio leguntur *„in priore editione ab ipso Vergilio curata extiterint“* (Proleg. p. 48). *„Pulcre enim*, inquit, *concludi poterat pestilentiae descriptio sententiis 520—530 . . . Postea ludens curis secundis potest quaedam amplificavisse“* etc. Propterea opus est totum locum perscrutari.

In v. 515—536 frustra retractationis vestigia quaeruntur. Narrantur enim ibi haec: ‚Medio in arando postquam taurus alter concidit, alterum arator tristis abiungens abducit (515—519). At sero medicina paratur: iam enim alter quoque iuvencus contagione se infectum esse variis ostendit indiciis (520—524) et mox demittetur Orco, licet nulla culpa malum sit conflatum (525—530). Sic peste latius latiusque vagante vel deorum ad sacra tunc frustra boves quaesitae atque currus *‚inparibus uris‘* ad donaria ducti sunt (531—533).‘ — His tribus versibus (531—533) sive hoc exemplo optime poeta mihi quidem videtur taurorum defectum illustrasse atque in aperto est quam bene ei cum antecedentibus cohaereant. Neque sequentia his non aptissime subiciuntur. Jam enim eo venisse boum penuriam poeta narrat ut miseri agricolae unguibus fruges infoderent atque adeo plaustra per montes *‚contenta cervice‘* (v. 534—536) ipsi traherent.

In hac narratione nonne admiramur eximiam artem Vergilii gradatim cum armentorum pernicie rusticorum miseriam depingentis, donec versibus ultimis (534—536) legentium animos vere percutit? An umbra alicubi exstat causae cur v. 531—533 et 534—536 curis demum secundis confectos aut v. 520—530 omittendos fuisse suspicemur?

Sed in describenda peste Vergilius a tauris ad feras pro-

---

[1]) In progr. Neostrel. p. 19—23.

greditur et non solum lupos, dammas, cervos, verum etiam ‚*maris inmensi prolem*' (v. 541) atque ipsas aves morbo vitam reliquisse narrat (537—547). Haec cum ad efferendam pestilentiae atrocitatem pertineant non vereor ne quis ab hoc loco abhorrere existimet. Quod vero hanc partem propter enumerationis diligentiam Ribbeckius Seneca magis et rhetore dignam censet quam perfecto poeta (p. 48), suum videtur secutus esse arbitrium; nam alii haud dubie aliter sentient. Sed v. 537—547 Vergilio derogare ne ille quidem vir doctissimus ausus est. At si in editione priore haec omnia omissa erant, cur tandem a poeta retractante ea addita esse credamus, aut undenam colligi potest poetam versus illos, si in priore exstiterunt editione, altera opprimi voluisse? Immo, uti dixi, a tauris ad alia animalia Vergilius processit quo magis pestis saevitiam extolleret. Jam postquam rapidam morbi eruptionem et propagationem descripsit non inepte de remediis, frustra quidem quaesitis, dicere instituit (548—550). Remediis autem cum non feras, sed tauros tantum sanare magistri studeant (v. 549), ad tauros nimirum poeta redit. Cum vero narraverit nullum fuisse auxilium, nullam salutem, sed vel nocuisse medicamenta, iam videmus Tisiphonen pallidam Stygiis tenebris emissam saevire altiusque in dies caput avidum efferre (551—553); iam audire videmur pecorum morientium clamore personare amnes, collas, ripas (554 sq.).

In hac truculenta imagine qua Vergilius descriptione finem imposuit displicent, immo spurii Ribbeckio videntur v. 554 sq. quos dicit omnino taedium movere nec in singulis omni ex parte placere (l. l. p. 48). Sed in talibus rebus quam diversa iudicia esse soleant ut cognoscas, conferas Coningtonem de his ipsis versibus suspectis pulcherrime loquentem.[1]) Ceterum si v. 554 sq. subditicii vere essent, ad nostram rem omnino non pertinerent. —

[1]) Verba eius liceat in adnotatione laudare: „*The two condemned lines,* inquit (p. 480), *add to the variety: as we read them we think of pleasant pastures of mountain slopes and river banks: once vocal with the bleating or the lowing of healthy cattle, now echoing with their dying groans.*“

De quarti libri v. 47—50 traiciendis iam priores interpretes cogitarunt. Schraderus eos post v. 32 ponere suasit, Heynius pari iure eos v. 17 subici ait neque vero ipse ordinem in libris turbatum esse credit. Ribbeckius autem re vera eos post v. 17 collocandos esse censet (Proleg. p. 34). Et cum v. 8—17 exponatur quae in regione sedi apium petenda abesse oporteat, sane non absurda suspicio videri possit v. 47—50 quibus de odoribus procul habendis agitur illuc esse transferendos. Attamen hac coniectura, non nullis probata et primo adspectu sane speciosa, genuinus sententiarum ordo non tam recuperatur quam corrumpitur.

Primum concinnitate orationis, qua Ribbeckius transpositionem commendari affirmat, mihi contra demonstrari videtur et v. 45—50 et 13—24 apte inter se cohaerere. Nam in v. 45—50 formae imperativae adhibitae sunt: ‚*ungue*', ‚*superince*', ‚*sine*', ‚*ure*', ‚*crede*': alia autem praecipiendi ratio est in v. 13—24: ‚*absint . . . lacerti . . . meropesque aliaeque volucres* (13 sqq.). *at liquidi fontes . . . adsint* (18 sqq.).' Sed haec missa faciamus, cum accurata interpretatione satis evinci possit v. 47—50 optime ibi positos esse ubi sunt in libris, minus apte ibi quo critici eos migrare iubent.

Vergilius v. 8—17 et 18—32 exponit regionem qualem esse oporteat, in qua apium sedes futura sit; deinde v. 33—46 de ipsis alveis exstruendis et fovendis disserit. At in v. 47—50:

neu propius tectis taxum sine, neve rubentis
ure foco cancros, altae neu crede paludi,
aut ubi odor caeni gravis aut ubi concava pulsu
saxa sonant vocisque offensa resultat imago.

verba ‚*neve rubentis ure foco cancros*', scilicet ‚*propius tectis*', non potuerunt edi a poeta nisi postquam de alvearibus aedificandis antea dixit. Nempe ubi de sede apibus eligenda sermo est (8—32) stulti est monere ne ‚*propius tectis*' cancrorum odore apes laedantur. Jam cum certum sit illa quidem verba non posse ferri nisi post v. 33—46, reliqua moras non creabunt. Nam etiam prima verba (v. 47): ‚*neu propius tectis taxum sine*' post alveos iam exstructos recte collocari verbum sinendi

fortasse etiam ‚*propius tectis*' — indicat. Etenim si in eo fuisset ut regionem describeret apium domicilio idoneam, poeta vix apte vocabulo ‚sinere' usus esset. Quid vero faciamus reliquis (48—50)? Nam paludem certe et cavas rupes et vocis imaginem resultantem vitare apiarii debent antequam domum apibus fabricare instituunt. Et profecto illa non ausim a transpositione vindicare, dummodo ab antecedentibus ullo modo seiungi possent. Quod cum fieri non possit et cum altera ex parte verba ‚*neu propius tectis taxum sine neve rubentis ure foco cancros*' post v. 33—46 collocari necessarium sit, de quattuor illis versibus (47—50) sic puto iudicandum esse: Vergilius cum iam in v. 45 sq. de tuendis et fovendis alveis praecipiat egregie hoc loco, post domum aedificatam, monet ut a vicinitate eius taxum apiarii removeant (v. 47: ‚*neu . . . taxum sine*'), cancrorumque combustorum nidorem cohibeant taedium apibus moventem (47 sq.). Unde facillime eo fertur ut alia quoque similia iubeat abesse aut procul habere, scilicet paludis et caeni gravem odorem (48 sq.). Jam a tectis ipsis (v. 47) ad regionem vicinam describendam sensim delapsus etiam vocis imaginem a rupibus resilientem apibus esse inimicam docet.[1])

Quae explicatio quamquam, utpote propter v. 47 sq. necessaria, non indiget argumentis longinque petitis, tamen eo quoque traditum ordinem defendi puto quod eiectis v. 47—50 multo languidiorem et infirmiorem conclusionem praebent v. 45 sq. quam verba gravida et plenius sonantia (49 sq.):

ubi concava pulsu
saxa sonant vocisque offensa resultat imago.

Noli enim in tali quaestione plane respuere aurium iudicium verborumque sonum, cum sat multis locis Vergilius aperte id egerit ut singulis carminis partibus plenam et pulchram imponeret clausulam. Miror igitur Ribbeckium qui quamvis optime hoc perspectum haberet exemplisque illustrasset (cf. Proleg. p. 55), tamen et hoc loco et aliis non nullis[2]) impetrare a se

[1]) Cf. Plin. Nat. hist. XI. 19, 61 et 21, 65.
[2]) Velut I. 204 - 310; III. 120—122; IV. 228—250.

potuit ut quae arte et consilio poeta composuit transpositione depravaret.[1])

Accedit aliud argumentum. Columellam in libris quos de re rustica scripsit cum alios auctores tum Vergilium secutum esse notum est. Et quamquam haud ignoro eos qui v. 47—50 amicorum Vergilii incuria alieno loco intrusos esse sibi persuaserunt non posse eo satis revinci quod scriptor quidam quamvis brevi post Vergilii aetatem versus illos eo ordine legerit quo in codicibus nostris exhibentur, tamen cum suspicionem de v. 47—50 serius additis admodum esse tenuem ac vanam demonstratum sit, iuvat perscrutari quomodo Columella rem tractaverit. Qui cum omnia quae ad rem pertinent verbis consequi voluerit et debuerit de ipsa apium cultura, quam liber nonus ab altero capite continet, nimirum longe alio ordine agit ac Vergilius qui pauca tantum hinc delibavit et exornavit. Verum tamen in describenda regione sedi apium idonea in summa re Columella totus Vergilii insistit vestigiis. Cum in altero et tertio capite libri noni de apium origine et generibus disseruisset — de quibus rebus Vergilius fere nihil habet — in quarto exponit quae arbores quaeque herbae apibus meliorem peioremve praebeant pastionem additque haec: ‚*Solae ex omnibus nocentes taxi repudiantur*‘.[2])

In quinto autem capite quo regionem alveo eligendam describit[3]) videamus qua ratione Vergilium imitatus sit. Primum sedem docet collocandam esse ‚*procul a tumultu et coetu hominum ac pecudum*‘, id quod etiam Vergilius primis effert versibus (8, 10—12). Deinde pluribus de maceria agit, de qua apud Vergilium nihil legimus; de lacertis autem et de volucribus perniciosis (Georg. IV. 13—17) Columella alio loco (cap. 7) loquitur. Tum vero ipsos Vergilii v. 20—24

[1]) Cf. Conington vol. III. p. 477.

[2]) Sic enim sine dubio recte Schneiderus (edit. Colum. in Script rei rust. vol. I. Lips. 1794) ope codicis Sangermanensis (cf. etiam Georg. IV. 141) verba restituit quae vulgo ita ferebantur: ‚*(At tiliae) solae ex omnibus sunt nocentes, taxi repudiantur*‘.

[3]) Quamquam hanc rem, laudatis Vergilii v. 9-12, iam initio capitis quarti commemoraverat.

et mox 27—29 affert; porro ut poeta v. 30—32 ita Columella quoque flores salubres circa apiarium esse iubet, velut casias et violaria. Jam non sequuntur, ut apud Vergilium, praecepta de alveis ipsis, sed quae paucis ille stringit (33 sq.) Columella accuratius, ut debuit, proprio capite tractat (IX. 6); nonnulla autem quae in v. 35 sqq. poeta praecipit Columella iam initio huius capitis alio tenore afferre maluit. Ea denique quae ad domicilia silvestrium apium pertinent (v. 42—44) ibi apte commemoravit ubi de capiendis examinibus silvestribus loquitur (IX. 8). Sed, quod maxime attendendum est, in fine capitis quinti Columella, postquam de ipsa regione abunde disseruit, addit haec: ‚*Gravis et taetri odoris non solum virentia, sed et quaelibet res prohibeantur, sicuti cancri nidor, cum est ignibus adustus, aut odor palustris coeni. Nec minus vitentur cavae rupis aut vallis argutiae, quas Graeci ἠχοῦς vocant.*‘ Apparet Columellam non solum legisse v. 47—50 Vergilianos eo loco ubi in libris quoque nostris exstant, sed etiam ipsam praeceptorum seriem Vergilianam ita servasse ut in fine demum totius descriptionis de prohibendis taetris odoribus nec non de vitanda vocis imagine dissereret. Quodsi taxum hoc loco expresse non nominavit — quamquam verba ‚*non solum virentia*‘ idem valere manifestum est — facillime eo explicatur quod iam in quarto capite, ubi de pabulatione apium loquitur, etiam taxum nocentem haud incommode commemoraverat verbis supra exscriptis. Vergilius autem cum nusquam de arboribus nocentibus verba fecerit, non male opinor una cum odoribus etiam taxum ab apium tectis iubet removere (cf. ecl. IX. 30). —

Libri quarti v. 203—205 videntur primo obtutu ab antecedentibus et ab insequentibus abhorrere. Ibi enim (v. 197—202 et 206—209) agitur de apium propagatione, in versibus autem 203—205 de mellis procreandi studio sermo esse videtur.

Itaque non possum non adsentiri Tittlero, cum in v. 205 exspectandum esse dicit (l. l. p. 6): ‚*tantus amor florum et generandae gloria prolis.*‘ Quem tamen cum versibus illis Schraderum secutus post v. 196 sedem adsignaret[1]) optime

[1]) Cf. Martyn p. 436.

Ribbeckius (Proleg. p. 35) redarguit, nam de v. 203—204 Tittlerus sine dubio prave iudicavit. Aliam autem traiectionem Ribbeckius proposuit (Lect. Verg. p. 7; Proleg. p. 35 sq.), quamvis ne ipsi quidem satisfaciant v. 203—205 post v. 218 collocati et aegre profecto feramus poetam ad mella stipanda recurrere postquam quanta fide et virtute apes regem corporibus suis tueri solerent enarravit. Quamobrem Ribbeckius ipse adstipulatur fere Wagnero qui, cum antea (l. l. p. 625; v. s. p. 75) hic maxime locus de marginali nota suspicionem ei movisset, triginta annis post in lectionibus Vergilianis Philologi supplemento primo (a. 1860) insertis reiecta priore opinione v. 203—205 versui 183 subiunxit (p. 375 sq.).[1] Quam sententiam praeter Ribbeckium multi editores amplexi sunt.[2] Attamen ne hoc quidem loco illos versus melius stare crediderim quam post v. 196 aut 218. Nam si versus ita se excipiunt: 180—183. 203—205, 184 sqq., sane v. 203—205 antecedentibus non male videntur adhaerere. At quam maxime miraremur poetam quod modo *‚saepe'*, h. e. multas apes in pascendo mortem occumbere narrat (203—205), statim tamen affirmat omnibus esse unam quietem, unum laborem; mane portis ruentes easdem vespere tecta petere e. q. s. (184 sqq.). Propterea v. 203—205 quibus de apium vitae discrimine et interitu poeta loquitur non possunt excipere v. 184 sqq. ubi omnes incolumes redire dicit. Refutata igitur hac quoque coniectura cum vix alius inveniatur locus quo v. 203—205 aptius inseri possint videamus nunc, quod ratio ipsa postulat, num iure loco remoti sint.

Potest autem, ut opinor, accurata interpretatione ostendi minime eos tantopere a sententiis proximis abhorrere ut transpositione opus sit.

---

[1]) Schaperus contra collocationem v. 203—205 post v. 184 pugnans (p. 27) nescio quid voluerit; nam hoc, quoad sciam, nemo umquam proposuit.

[2]) Velut Ladevicus, Forbiger, Glaserus, Thilo, qui tamen in adnotatione critica (p. XXVII.) non adversaturum se profitetur si quis v. 203—205 abici quam transponi maluerit. — Ribbeckius in editionibus versus suo loco servavit, sed stellulis notavit ut serius inlatos

Jam Vossius docuit in v. 205 non solum de melle, verum etiam, quod viri docti non iniuria ibi desiderarunt, de prole verba fieri. Nam v. 197 sqq. Vergilius narrat apes non partu edere fetus, sed e foliis herbarum natos ore colligere. Et cum veteres credidisse constet[1]) mel non ex floribus, sed ex rore caelesti apibus parari, recte mihi videtur Vossius in v. 205: ‚*tantus amor florum et generandi gloria mellis*' ita discrimen fecisse ut verba ‚*generandi gloria mellis*' nimirum ad mellis procreationem, verba autem ‚*(tantus amor) florum*' ad prolem de floribus colligendam referret[2]). Atque hanc explicationem, licet contorta visa sit Jahnio (p. 304)[3]), conformatione totius loci puto confirmari. Etenim in versibus quibus mirabilem illum morem apium natos ore e foliis legentium poeta describit (197—202) usque ad ‚*sufficiunt*' (v. 202) oratio recte procedit: nam haec omnia ad prolem pertinent. At quae sequuntur ‚*aulasque et cerea regna refingunt*'[4]) de cera videlicet dicta sunt. Constat igitur iam in v. 202 Vergilium a recta narrationis inceptae via (v. 197) paullum deflexisse ita ut a prole e floribus collecta ad ceram simili ratione creatam digrederetur, quod facillime fieri potuisse nemo negaverit. Atque idem etiam in v. 203—205 admisisse poeta putandus est, ubi apes non solum florum amore, i. e. studio generis propagandi, sed etiam mellis generandi gloria non raro perire refert. Et vix quisquam contenderit Vergilium cum de apium ardore generis regnique sustentandi loquitur (197—202) non bene pauca addidisse de periculis in hoc officio eis instantibus (203—205). Tum vero poeta, ut par est, ad ea redit (v. 206) quae de stirpe antea narraverat.

Itaque v. 203—205 suo loco retinendos esse censeo non solum quia alio commode inseri non possunt, sed quod non

---

[1]) Cf. Voss p. 730 sqq.; p. 742 sqq.; p. 86 sq. — v. s. p. 63 not. 2.

[2]) Voss p. 801: „*So heftig treibt sie die Lust, Blumenstoffe zu junger Brut und zu Wachs, und Thau zu preiswürdigem Honig einzutragen!*"

[3]) Ipsius Jahnii interpretatio qua traditum ordinem tueri vult non satisfacit.

[4]) ‚*refigunt*' M., sed cf. v. 179.

nullo vinculo cum proximis coniuncti sunt. Indicium vero quo eos Georgicis iam perfectis editisque adscriptos esse demonstretur exstat nullum. —

Libri quarti v. 228—250, in quibus iam antea varii varia temptaverant, Tittlerus (p. 11) ita ordinare suadet: 228—230, 236—238, 231—235, 248—250, 239—247 [1]). Priusquam de hac propositione sententiam feramus, antea narrationem quam v. 228—250 tradito ordine servato exhibent perscrutemur. In quibus poeta primum exponit quid ante mellificationem apiarios cavere oporteat (228—230); dein quae de temporibus relinendi disserit (231—235) illis optime subiuncta esse vix iure negatur. Hac re enarrata apium effert iram (236—238) quam, ut Heynius recte monet (l. l. p. 635), „*dum mel exscinditur maxime experiare*". Jam cum de modo et de temporibus mellificandi Vergilius narraverit, minime aliena esse arbitror ea quae sequuntur de melle apibus relinquendo ut habeant quo hieme dura vescantur (239—240). Haec enim opponuntur eis quae de melle eximendo antea (228—238) dicta sunt; quod etiam ipsa v. 228 et 239 conformatione indicatur:

228 *siquando . . . mella . . . relines*
239 *sin duram metues hiemem parcesque futuro.*

Poeta igitur apiariis permittit ac suadet ut in tempore apibus parcant. At etiamsi mella non eximant, tamen suffire cerasque recidere inanes ut ne negligant eos adhortatur, scilicet ut variae pestes alveis expellantur (241—247). Postremo ne nimis cauti nimiumque hiemem futuram metuentes apiarii eximere cunctentur, docet apes quo magis exhaustae fuerint hoc acrius omnes sarcire ruinas solere (248—250).

Videamus nunc quid in his versibus tantopere criticos offenderit ut transpositione ordini turbato succurrendum esse statuerent. Primum v. 236—238 respicere ad 228—230 concedendum est. Verum tamen his illos subiungere non modo necessarium non est — nam talia saepius occurrere videmus —

[1]) Placuit hoc Ribbeckio (Proleg. p. 36 sq.), Forbigero, Ladevico, qui antea (Jahns Jahrb. 1856 vol. 73 p. 467) aliam professus erat sententiam.

sed vel improbatur eo quod pronomen ‚*illis*' in v. 236 indicare videtur v. 236—238 melius post v. 231—235 poni quam post 228—230, in quibus apium ipsarum prorsus nulla mentio fit: tum quod in v. 236—238 post 230 collocatis magis, ut opinor, offendit eos neque particula neque ulla alia ratione cum praecedentibus vinctos esse quam si post v. 231—235, optime v. 228—230 excipientes, poetam ad superiora redire statuimus. Sed ut largiamur v. 236—238 non male post v. 230 poni — quamquam necessitatem transponendi adesse nego — tamen Ribbeckius ipse ostendit quantam toto hoc loco probabilitatem haberet transpositio, cum v. 228—250 quattuor diversis rationibus non nimis inepte connecti posse doceret (p. 36 sq.). Sequitur enim hinc non esse haerendum in eo quod singula praecepta (228—230, 231—235, 236—238, 239—247, 248—250) non omnia firmo quodam vinculo cum proximis copulata sunt. Neque hoc mirum habebit eum qui carminis didactici naturam, multa et varia deinceps tractantis, secum reputaverit.

At v. 248—250 suo loco esse retinendos certius demonstrari potest. Primum enim quod aiunt v. 239—247 cum morborum remediis quae in sequentibus proferuntur (251 sqq.) artissime cohaerere (cf. Ribbeck Proleg. p. 36) verum non est. Nempe quae illic enumerantur pestes, stelio et blattae et fucus etc. (242 sqq.), nihil pertinent ad morbos quibus apes ipsae obnoxiae sunt (251 sqq.), sed partim ad servandos favos, partim ad hostes ut ita dicam externos. Porro quod versus illos ante v. 239 ponendos esse Ribbeckius dicit quia v. 239 sq. respiciant ad v. 249, possumus plane eodem iure statuere v. 249 respicere ad v. 239 sq. Atque v. 248—250 ante v. 239—247 collocatis connexus versuum aliquatenus corrumpitur, quoniam, uti dixi, Vergilius primum de relinendo, tum de relinquendo melle praecipere voluit, quibus egregie addidit v. 248—250 ne nimis apiarii parcerent apibus docentes. Accedit, quod non negligendum est et a Coningtone (vol. III. p. 478) rectissime explanatum, v. 248—250 etiam venustate et arte poetica defendi quas plus iusto spernit qui transponendi periculum facit.

Itaque nihil est quod a tradito v. 228—250 ordine recedere nos cogat. Ribbeckius autem in v. 236—238 et 248—

250 secundarum curarum additamenta deprehendi ratus (p. 37) vel ideo non est audiendus, quod credi non potest ea quae illis versibus narrantur, ad describendam apium naturam quam maxime videlicet necessaria, Vergilium de ipsa mellificatione disserentem in edito carmine omisisse. —

Libri quarti v. 276: *‚saepe deum nexis ornatae torquibus arae'* vel Jahnio suspectum (p. 385) Wagnerus absoluto carmine a Vergilio in marginem coniectum et hinc in textum inlatum esse coniecit (l. l. p. 625 et 641; — v. s. p. 75), quia a ceteris ad amelli descriptionem pertinentibus (271 280) alienus videtur et quia ad *‚nexis . . . torquibus'* desideratur particula „hinc" vel similis, qua apertius significetur de torquibus ex amello sertis verba fieri. Alii „torques" de floreis coronis omnino non posse recte dici statuerunt. His de causis alii alia temptarunt. Ribbeckius versum aut interpolatum aut secundis curis ab ipso poeta adsutum ducit (Proleg. p. 43), quamquam, si quidem iustae essent offensiones illae, meo quidem arbitrio versus non posset non subditicius haberi.

Sed primum quod ad vocem „torques" attinet verissime Wagnerus monuit (p. 641) non coronam esse intelligendam, sed serta tortuoso fluxu aras cingentia. Porro v. 276 non describit quidem expressis verbis amellum, attamen ad notitiam eius quam Vergilius augere voluit (cf. v. 272 sq.: *‚facilis quaerentibus herba: namque . . .'*) non nihil pertinet. Postquam enim poeta florem ipsum depinxit (273—275), addit saepenumero deorum aras eo adornari (v. 276): qua re non solum pulchritudinem eius illustravit, sed una cum non difficile esse inventu docuit (cf. v. 272). Denique cum ex sensu totius loci, praecipue ex antecedentibus, dilucide appareat de amello, non de alia herba nescio qua in v. 276 sermonem esse neque coniecturis a Burmanno et Peerlkampo propositis neque traiectione quam Tittlerus (p. 7) suasit, probante fere Ribbeckio (p. 43), — atque v. 276 post v. 278 collocatus tolerari sane possit — versum illum vexabimus qui praesertim pulcherrimus videatur neque retractationis vestigium prae se ferat. —

Nunc ad eum locum venimus quem cum tot tantopere interpretes exercuisset Ribbeckius *manifestissimum suspicionis*

suae vestigium appellavit (Lect. Verg. p. 8)[1], postea vero cum Peerlkampo (p. 289 sqq.) indignum Vergilio esse iudicavit (Proleg. p. 38): libri quarti v. 289—294. Quos, quod nullo alio loco occurrit, trium veterum codicum qui hanc partem Georgicon nobis servarunt alius alio ordine exhibet: Palatinus 290, 291, 292, 293, 294; Romanus 290, 292, 293, 291, 294; Mediceus 290, 292, 291, 293, 294. Editores in contrarias partes discedunt. Palatinum sequuntur Ruaeus, Heynius[2], Hauptius, Thilo (sed cf. adn. crit. p. XXVII.), alii nonnulli; plerique Romanum; Mediceum unus quantum video Kappesius.

Ribbeckius autem cum hac librorum turba retractationis suspicionem confirmari putasset vide quid egerit. Viginti fere locis ubi ordinem versuum additamentis ex schedis Vergilii invectis turbatum esse censuit versus transposuit, eiecit, asteriscis notavit quamvis nusquam in libris, quos constat vetustate ac fide codices aliorum scriptorum Romanorum paene omnes superare, vel levissima exstet discrepantia. Jam vero ubi semel grave quoddam vitium in libris ipsis apparet: En, ait, hoc quidem uno loco etiam in libris deprehenditur editionis prioris documentum. Sed parum cogitavit quantum hoc loco testimonio codicum tribueret, tantum ceteris locis omnibus quibus auctoritate eorum numquam non destituitur se ipsum detrahere. Praeterea cum credere iuberemur altera illa editione a Vario curata priorem a. 725/29 emissam prorsus oblitteratam esse qui tandem fieri potuit ut libri Vergiliani ceteroquin ubique „emendatum“ exhibentes textum[3]) hoc uno loco vestigium alterius recensionis praeberent? Discrepantia igitur librorum non tam confirmare quam labefactare retractationis suspicionem deberet si ea aliis argumentis stabilita esset. Quamquam autem, uti dixi, Ribbeckius ipse nunc quidem turbam illam non curis secundis, sed interpolatione ortam esse

[1]) Cf. etiam edit. mai. vol. I. p. 210 adn. crit.

[2]) Cui tamen de marginali nota oborta est suspicio; v. s. p. 75.

[3]) Nam lectiones in cod P. exaratas (II. 344, IV. 112, IV. 231) non esse „priores“ quibus postea Vergilius alias substituit, sed meros librariorum errores supra demonstratum est, v. p 59—63.

credit, itaque ad nostram quaestionem res iam non pertinet, iuvat tamen paucis quid de hoc loco iudicandum videatur exponere. V. 287-293 si singulatim spectamus, remota paulisper quaestione quae est de eorum ordine, statim apparet versibus primis (287 sqq.) occidentalem, versu quarto (290) orientalem Aegypti finem describi — nam verbis *‚vicinia Persidis urguet‘* (290) nihil aliud poeta significare voluit nisi Aegypti regionem ad ortum solis vergentem (cf. Voss p. 831 sq.). Item liquet v. 293 originem Nili, scilicet meridiem, et v. 292 ora eius, scilicet septentrionem, appellari. Itaque his versibus (287—290 et 292—293) Aegypti termini quattuor extremi ita commemorantur ut occidentalis (287-289) oppositus sit orientali (290), septentrionalis (292) meridionali (293). Quid vero faciamus v. 291 qui superest? Cum ex eis quae exposui certum sit Vergilium hoc loco non solum, quod nonnulli crediderunt, eam partem Aegypti quae Delta dicitur, sed totam Aegyptum descripsisse ita ut quattuor fines enumeraret, ego me fateor intelligere non posse cur v. 291 damnemus quo finibus illis Aegypti optime, ut plena fieret descriptio, poeta addidit longitudinem terrae quam Nilus ab Indis veniens totam percurrit et fecundat. Itaque cum ceteris versibus termini Aegypti, illo autem versu terra ipsa significetur, nec superfluum nec otiosum hunc putabimus, in quo nihil reprehendendum esse vel Heynius concessit. Teneamus igitur v. 291—293 ipsa structura connexis describi totam Aegypti longitudinem. Jam si de eis ordinandis quaestio instituitur, primum locum obtinere non posse v. 293 manifestum est, quoniam cum versibus superioribus (287—290) hic nulla ratione copulatus neque in codice ullo ita collocatus est. Sed ne secundo quidem loco, praecedente v. 292, sequente 291, eum recte stare posse iudico, quamquam et in codice Romano et in editionibus plerisque versus sic collocati sunt. Vergilium enim rem ita extulisse ut primum de septem Nili capitibus loqueretur (292—293) et tum demum flumen illud fecundare Aegyptum referret (291) equidem credere non possum. Sed aut versus ita se excipiant oportet: 291, 293, 292, aut ita ut in codice Palatino leguntur: 291, 292, 293. Quarum collocationum mihi praeferenda videtur altera, non quo prior inepta

sit, sed quod libri quidem unius auctoritate confirmatur. Narrat igitur Vergilius haec: „Qua Aegyptum fecundat (291) et (tum) in septem ora discurrit (292) Nilus ab Indis devexus (293), tota regio in hac arte salutem iacit (294).“ In hac versuum serie nihil video quod merito reprehendatur. In structura autem fortasse insolentior ratio videatur quod v. 291 et 292 subiectum in versu demum 293 additur; at hoc poetae condonandum est quoniam nemo qui v. 291 et 292 legerit non perspicit de Nilo esse sermonem. Altera autem ex parte si codicem Palatinum sequimur id quoque facillime explicatur quo modo turba in libris orta sit (cf. Voss p. 832). Nam summa cum probabilitate conicitur librarium ab altero ‚*et*‘ quod initio v. 291 legitur ad alterum (292) oculis aberrantem v. 291 omisisse; tunc in marginem hunc versum adscriptum variis locis inde in textum inlatum esse: alieno loco in Mediceum (inter v. 292 et 293), minus commodo in Romanum (post v. 292 et 293), recto denique in Palatinum (ante v. 292 et 293).

Non meliore iure in singulis interpretes inde a Cerda offenderunt. Nam ‚*vicinia Persidis*‘ (v. 290) optime Vossius (p. 832; v. s. p. 115) explanavit; neque ‚*viridem Aegyptum nigra fecundat harena*‘ (v. 291) non pulchre et apte dictum est; nec repugnantia Vergilius posuit cum prope Canopum ‚*stagnantem*‘ fecit Nilum (v. 288), attamen discurrere eum ‚diversa ruentem‘, h. e. in diversas partes discedentem infra dixit (292). Sed mittamus haec, nam nunc quidem iam nemo est qui in v. 289—294 secundarum curarum vestigium apparere censeat. —

In ultimo loco quem in controversiam viri docti vocarunt non est quod diu versemur. Laudat quidem Ribbeckius Schraderum, quod libri quarti v. 369 sq. transposuit, „*quo factum*“, inquit (Proleg. p. 47), „*ut Italiae flumina tria coniuncta enumerentur, Hypanis autem cum Caico externorum, maxime barbarorum agmen claudat*“; de curis autem secundis non loquitur. Atque paene ineptum mihi videatur credere Vergilium carmen iam evulgatum emendare aut supplere voluisse addito v. 369 aut 370 quibus plane nihil nisi nova fluviorum nomina afferuntur. Transpositio autem ipsa, nisi quid

me fugit, ea sola causa continetur quod nolunt critici poetae dare in enumerandis fluminibus non Italica a ceteris distinguere, sed suam sequi mentem. Haec autem ratio, qua similia similibus utique subiungere student et quae etiam aliis poetis non mediocriter nocuit, mera videlicet libido est atque optime illustratur exemplo libri tertii (v. 242—283), ubi item vidimus interpretes operam frustra consumere ut alium exemplorum illic congestorum ordinem traiectione efficerent. —

Haec sunt retractationis vestigia a criticis indagata. Quae qui accurate et animo sincero examinaverit non dubito quin concessurus sit nusquam apparere locos nondum absolutos aut sententias inutiliter ac moleste repetitas aut ordinem praeceptorum versibus alienis aut cum proximis nondum conciliatis interruptum, ullum denique certum et indubitatum alterius recensionis indicium. Nam quod uno et altero loco concedendum est Vergilium narrationem etiam alia serie non inepte efferre potuisse, minime potest argumento esse haec illa a poeta serius addita esse, primum quia etiam tradito ordine versus bene se excipiunt, dein quia fieri omnino vix potest ut in poemate didactico singula praecepta omnia firmissime inter se cohaereant; denique quia aliquid certe condonetur oportet voluntati et arbitrio auctoris quem inter fines nimis angustos immerito interpretes coercere volunt. Postremo consentaneum est in tali quaestione quo certius nonnullis, immo omnibus fere locis demonstratum est perperam de secundis curis cogitari, eo magis reliquis, de quibus fortasse difficilius iudicatur, probabilitatem imminui. Sed scrupulos omnes, si qui forte remanserunt, confido fore ut auferantur dummodo recorderis, Georgicon alteram editionem omnino nullo veterum testimonio firmo apertoque vel paulisper comprobari; deinde et a probabilitate et a consuetudine abhorrere quod statuunt Vergilium in edito carmine emendando etiam per undecim annos elaborasse; denique prorsus esse incredibile Varium et Tuccam impetrare a se potuisse ut Georgica ab ipso poeta perfecta et emissa ultro corrumperent additamentis atque adeo versibus imperfectis e tabulis Vergilianis inepto insuper loco invectis.

Georgica igitur, ut disputationis summam faciam, septem annis composita exeunte a 724/30 absoluta sunt, scripta igitur intra a. 718/36 et 724/30, tum Octaviano ex Oriente reduci a. 725/29 recitata. Edita ea esse brevi post perfectionem cum consentaneum est tum Suetonii efficitur testimonio qui Vergilium antequam Aeneida inchoaret (a. 725/29; cf. p. 60, 6 R.) Georgica edidisse refert (p. 58, 20 R.)[1].

Unum priusquam finem facio commemorandum. Vidimus et l. IV. v. 559 sqq. et III. 26 sqq. et II. 170 sqq. hieme exeuntis a. 724/30 conditos esse. Cum autem hoc ipso temporis spatio carmen totum conscriptum esse credi non possit, consectarium fit, quod iam Ruaeus perspexit (p. 143 et 172; vit. Virg. ad a. 724) et recentiores quoque monuerunt[2], l. II. v. 170 sqq. et III. 26 sqq. — nam de novissimis versibus dubitari omnino nequit quin carmini ad umbilicum adducto subscripti sint — operi paene perfecto a Vergilio insertos esse. Neque haec explicatio ullam praebet difficultatem, quoniam versus illi quibus res ab Octaviano novissime gestas poeta respicit non in ipso praeceptorum contextu leguntur, sed alii (IV. 559 sqq.) in fine totius carminis, alii (III. 26 sqq.) in prooemio libri, alii (II. 170 sqq.) in digressione. Unde eo magis patet (v. s. p. 14 et 29 not. 1) Vergilium voce *‚canebam‘* (IV. 559) omninoque toto epilogo (559—566) non docere voluisse quando Georgica composuisset, sed indicare se carmen tempore significato (a. 724/30) Neapoli lima esse persecutum.

---

[1]) Jacobi van Wageningen librum „De Vergili Georgicis“ (1888 Traiecti) non ante in manus meas venisse quam haec commentatio tota sub ipso esset prelo vehementer doleo. Multis in rebus, quod hoc loco addere liceat, illum mecum consentire gavisus sum; in aliis etiamnunc dissentio: veluti quod ille Georgica non ante a. 728/26 in lucem prodiisse itaque, propter Donati de septem annis testimonium (p. 60, 5 R.; v s. p. 23), a. 721/33 scribi coepta esse statuit (p. 9 sqq.) nulla fere alia de causa nisi quod Galli laudes ex edito carmine — et in hac re rectissime iudicat — exstingui non potuerunt, hanc opinionem eis quae supra exposui satis refutatam esse puto.

[2]) Cf. Ribbeck Röm. Dicht. II 42; Kolster Jahns Jahrb. 1882 vol. 125 p. 700 et 1886 vol. 133 p. 356; Thilo p. XIII.

THESES.

1. Callin. frg. 1 (Bergk) v. 15 traditam lectionem ἔρχεται optimo iure editores novissimi revocarunt.
2. Aristophanis fabula quae Acharnensium nomine inscribitur tota in eadem scena acta est.
3. Thucyd. I. 120, 4 verba εἰ ἡσυχάζοι interpolatoris sunt.
4. Xen. Symp. II. 9 in editionibus plerisque inepte legitur γνώμης δὲ καὶ ἰσχύος δεῖται. Xenophon scripsit ῥώμης.
5. Plaut. Trin. post v. 928 lacuna non recte statuitur.
6. Lucr. II. 875 restituenda est librorum scriptura: ,*vertunt se fluvii in frondes*'.
7. Catullus c. 49 ad Ciceronem per cavillationem misit.
8. Verg. Aen. IX. 412 retinenda est codicum scriptura: ,*et venit adversi in tergum Sulmonis*'.
9. Auctor vitae Bernensis quod Vergilium „*cum Caesare Augusto*“ studuisse refert nescio an Octavium Musam cum Caesare Octaviano confuderit.
10. Serv. Dan. ad Georg. I. 14 pro „*ibique vitam coluisse*“ scribendum est „*posuisse*“.
11. Non iure etiamnunc sunt qui dubitent num Hartmannus de Ouwe natione Suebus fuerit.

VITA.

Natus sum Nathan Pulvermacher die XXVI. mens. Apr. a. 1867 in urbe Myslowitz in extremo angulo Silesiae superioris sita patre Heymanno, matre Ludovica e gente Ebstein, quos etiamnunc superstites esse quam maxime laetor. Fidei addictus sum iudaicae. Litterarum primordiis imbutus per tres annos frequentavi progymnasium quod vocatur paternae urbis, deinde gymnasium Kattowiciense vicinum. Cum parentes auctumno a. 1880 Berolini domicilium collocassent, gymnasium adii Regiopolitanum. Ibi cum aliorum qui me docuerunt virorum tum maxime Ludovici Bellermanni, viri doctissimi et vere humani, doctrina commotus sum ut testimonium maturitatis auctumno a. 1885 nactus studiis philologicis et theotiscis me dederem. Itaque in universitate Berolinensi per quattuor annos his studiis vacavi docentesque audivi viros illustrissimos: Bresslau, Curtius, Diels, Dilthey, Hirschfeld, Huebner, Kirchhoff, Maass, Paulsen, Robert, Roediger, Rothstein, Schroeder, Steinthal, Vahlen, Weinhold, Zeller.

Seminarii philologici quod floret Kirchhoffio et Vahleno rectoribus per unum annum et dimidium sodalis fui ordinarius; in germanico seminario exercitationibus interfui Roedigeri et Weinholdii. Praeterea ad exercitationes philologicas Huebner et Rothstein, ad theotiscas Schroeder, ad archaeologicas Robert aditum mihi benigne praebuerunt.

His viris omnibus gratias ago candidissimas. Praecipue vero Dielsii, qui summa cum benignitate studiis me initiavit, et Vahleni, cuius doctrina non solum in scholis et in seminario frui mihi licuit, sed qui etiam in hoc libello scribendo singulari benevolentia me adiuvit, memoria numquam e gratissimo discedet animo.